

Og. 56.



- a. Hottinger schola Siger. (F.M.) Sig. 1664
 b. Huchii Sanderi M. medicus. Sig. ep. Wolf. 1592
 c. Heideggeri H. Indicia Theologorum Reform. Sig. 1669
 d. — — — consolatio Karæ Martyrum — 1678
 e. — — — de Symbolo apostolico J. 1679
 f. — — — — — posterius J. 1680.


27/3

Sammler

10



[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



4

CONSOLATIO CHRISTIANA
S. MARTYRUM,
Omniúmque Persecutiones
sustinentium.

*Ex Dei Verbo, Protrepticis & Consolationibus
S. Patrum, aliorúmque ad Martyres, ipsorum
denique S. Martyrum veterum & recen-
tiorum emortualibus dictis asserta.*

Quam

SPIRITU S. PARACLETO DUCE ET AUSPICE,
Placido eruditorum examini subjicit

JOH. HENRICUS HEIDEG-
GERUS, SS. Theol. D. & P. P.

Respondente

JOH. HENRICO ZIEGLERO, V. D. M.

Assumente

FELICE BRUNNERO, S. Theol. Stud.

Postridie Synodi Maji, H. L. Q. S.

T I G U R I.
Typis Davidis Gessneri,
M. DC. LXXVIII.



CANDIDÆ MILITUM
CHRISTI COHORTI,

*Viris plurimum Reverendis, Clarissimis, Eccle-
siarum quondam & Scholarum Hungaricarum
Evangelicarum Pastoribus & Rectoribus, Con-
stantissimis Jesu Christi Confessoribus & Testi-
bus, ac pro eodem & bona conscien-
tia Exulibus:*

D. STEPHANO SELLYEI, Ecclesiæ Papensis Refor-
matae Pastori, & circumjacentium Superintendenti.

D. STEPHANO MORICZ HARSSANYI, Ec-
clesiæ Rima-Szombathiensis Ref. Pastori.

D. SAMUELI NICLETIO, Ecclesiæ Uybaniensis Au-
gustanae Pastori.

D. PETRO KALNAI, Ecclesiæ Putnokiensis Ref. Pa-
stori.

D. STEPHANO COMAROMI, Ecclesiæ Jaurinensis,
& postremò Acsinæ Ref. Pastori.

D. GEORGIO KORMONDI, Ecclesiæ Barsiensis Ref.
Pastori & Seniori.

D. GEORGIO ALISTALI, Ecclesiæ Szönyiensis Ref.
Pastori.

D. STEPHA-

D. STEPHANO BEREGSZASZI, Ecclesiae Hanva-
jensis Ref. Pastori.

D. SAMUELI TATAI, Ecclesiae Tornallyensis Ref. Pa-
stori.

D. JOHANNI SZOMODI, Ecclesiae Szendiensis Ref.
Pastori.

D. JOHANNI UYVARI, Ecclesiae Mező-örnsiensis Ref.
Pastori.

D. JOHANNI RIMA-SZOMBATHI, Ecclesiae
Csoltiensis Ref. Pastori.

D. STEPHANO SZENTPETERI, Ecclesiae Simo-
niensis Ref. Pastori.

D. BASILIO KOPECSI, Ecclesiae Szkarosiensis Ref. Pa-
stori.

D. NICOLAO LEPORINO, Ecclesiae Poltariensis Aug.
Pastori.

D. STEPHANO BATORKESSI, Ecclesiae Vespri-
miensis Ref. Pastori.

D. FRANCISCO FORIS OTROKOCSI, Ecclesiae
Rima-Szeceiensis Ref. Pastori.

D. STEPHANO LADMOCI, Ecclesiae Serkejensis Ref.
Pastori.

D. BALTHASSARI NICLETIO, Ecclesiae Allostre-
choviensis Aug. Pastori.

D. MICHAELI SZALOCSI, Ecclesiae Zubogyiensis
Ref. Pastori.

D. MICHAELI KARASZNAI, Ecclesiae Kelemerien-
sis Ref. Pastori.

D. STEPHANO ZEDENYI, Ecclesiae Dorgicsejensis
Aug. Pastori.

D. ANDREÆ

D. ANDREÆ SZODOI, Ecclesiæ Saroiensis Ref. Pastori.

D. JOHANNI JABLONCZAI, Ecclesiæ Bejiensis Ref.
Pastori.

D. NICOLAO BUGANYI, Ecclesiæ Gömöriensis Aug.
Pastori.

D. MARTINO SZENT-PETERI, Ecclesiæ Hete-
nyensis Ref. Pastori.

D. THOMÆ STELLER O, Gymnasii Neozoliensis Aug.
Conrectori.

D. VALENTINO KOTSI, Scholæ Papensis Ref. Reçtori.

D. PETRO SIMONI, Scholæ Simoniensis Ref. Reçtori.

*Ex Triremibus Neapolitanis & Carcere Bu-
carino, potenti Dei brachio liberatis, Ho-
spitibus quondam, cum ex magna tribu-
latione, stolis sanguine Agni dealbatis, ve-
nirent, acceptissimis;*

Consolationem Christianam, qua ipsi Divinitus muniti,
persecutionis urgentis ferociam stabili congressione fre-
gerunt, & parati ad patientiam carcerum, triremium; ar-
mati ad tolerantiam mortis, fortiter repugnârunt Seculo,
spectaculum gloriosum præbuerunt Deo, Angelis & ho-
minibus, secuturis denique Fratribus exemplo fuerunt,

*Sacram esse, ceu studii addictissimi, & affectus nunquam
intermorituri, votorumque & ominum opti-
morum monumentum, voluit*

JOH. HENRICUS HEIDEGGERUS.



I. **C**um de natura & causis Martyrii & persecutionum, quibus Ecclesia sub Christi signis in mundo hoc militans sine fine & modo infestatur, paulò explicatiùs à nobis actum sit, proximum est, ut de remediis consolationum, quibus Martyrium & persecutionem quamvis subituri & per gratiam Dei superaturi, animum in fide & confessione Christi muniant & obfirment, non minori cura studioque agamus. Absque iis enim est, qui tentantur, aut offensi resilient à fide Evangelii, more *ὁμοιωμένων* illorum, qui sermonem Christi lati gestientesque excipiunt, at radice destituti *ὡς καρπὸν μηδὲν, καὶ ἐν καρπῷ περιεχομένῳ ἀφίστανται*, ad tempus credunt, & tempore tentationis abscedunt, Luc. VIII. 13. aut malorum magnitudine fracti animum abjicient, penitusque succumbent. Et fideles quique penitissimum sensum habent infirmitatis carnis suæ, nôruntque, quàm illa mollis & delicata sit, quàm Regni Dei & rerum propriè nostrarum oblita, nidum in mundo figere gestiati, abhorreatque non à cruce duntaxat, sed etiam à concione crucis, uti exemplo S. Petri Christum ipsum à crucis sustinendæ proposito absterrere ausi Matth. XVI. 22. 23. liquet. Sicut igitur Moses aquas amaras deserti injecto ligno dulces reddidit, Exod. XV. 25. & prudentes Medici potiones amaras saccharo aliisque condimentis dulces & sapientes palato efficere consuecunt: denique & nautæ oborta gravi tempestate, & fluctibus undique navim circumfundentibus, præsentemque interitum minantibus, anchorâ fixâ fluctuantem navim sustinent: ita etiam doctrina de Martyrio & horribilibus fidelium persecutionibus, suavium & salutarium consolationum malagmatis temperari, ipsaque fides in nixa solidæ spei anchora corroborari debet, quò ita jugi illarum meditatione, certaque fiduciâ, Confessores Christi non tantùm adversus eas subsistere, sed etiam *ἐν παντί ἐπιεργαζομένων* in omnibus plus quàm victores evadere (Rom. VIII. 37.) valeant.

Consolationis in adversis necessitas.

II. Jam olim Seneca *Epist.* 18. pronuntiavit, *optimum esse contra injurias fortune inter beneficia firmare animum. Nisi enim, ita alibi de Tranquill. cap. 11. idem loquitur, quicquid fieri potest, pro futuro habeas, das in te vires rebus adversis, quas infregit, quisquis prior vidit.*

Futurarum afflictionum præmeditatio perutilis est.

A

vidit.

vidit. Et Prosperi sententiã non facile in adversitate inveniuntur præsidia, qua non fuerunt in pace prius quaesita. Sanctus quoque Cyprianus & ipse Martyr factus, Fortunato, persecutionum & pressurarum pondere incumbente, ad præparandas & corroborandas fratrum mentes ex S. Scripturis hortamenta requirenti, quasi arma & munimenta quadam pugnaturis fratribus de præceptis Dominicis prompsit, uti verba ejus in aureo de Exhortatione Martyrii libello sonant. Neque enim, uti ibidem mox S. Pater præclare loquitur, idoneus potest esse miles ad bellum, qui non exercitatus prius in campo fuerit. Aut qui agonisticam coronam querit adipisci, in stadio coronabitur, nisi usum & peritiam virium ante meditetur. Adversarius vetus est, & hostis antiquus, cum quo praelium gerimus. Sex millia annorum (errorem hunc chronologicum à Pamelio in Notis correctum vide) pænè complentur, ex quo hominem Diabolus impugnat. Omnia genera tentandi, et artes atque insidias dejiciendi usu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum invenerit militem Christi, si rudem, si non sollicitum ac toto corde vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Si verò quis Dominica præcepta custodiens, & fortiter Christi vestigiis adherens, contra eum steterit, vincatur necesse est: quia Christus, quem confitemur, invictus est. Sed & B. Gregorius homil. 35. in Evang. futurarum afflictionum præmeditationem ita luadet: Minus jacula feriunt, quae prævidentur. Et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc præscientia clypeo munimur. Neque aliam certè ob causam Christus cum aliis, tum Apostolis futuras afflictiones accuratè prædixit, quàm ne postquam evenissent, aut scandalizarentur, aut conturbarentur. Hæc vobis locutus sum, inquit Joh. XVI. 1. 4. ne scandalizaremini. Ex Synagogis vos eicient, &c. Sed hæc dixi vobis, ut cum venerit hora, memineritis eorum, quòd ego vobis dixerim.

Institutum
authoris &
votum.

III. Meritò igitur altissima pace, admirabili Dei gratia, fruentes, & nos in campo isthoc decurrentes, lacertos intendimus, animumque adversus quoscunque casus mutantis fortunæ ἰσχυρὰ πνευματικὴν ἐκκλησίαν *valida consolatione*, hoc est, certis quibusdam consolationum θελητικῶν & præsidii præparamus, firmamus, corroboramus, & nos invicem ἐν παροξυσμῶν *instigationem* constantiæ in fide, & patientiæ infractæ movemus atque excitamus. Et consolationum quidem illarum præsidiiis hanc verè auream, & si firmitatem spectes, adamantinam substernimus basin: Ευλογητὸς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν ἰησοῦς χριστὸς, ὁ πατὴρ τῶν οὐρανῶν, καὶ θεὸς πάσης πνευματικῆς ἐκκλησίας

ἐγκαλήσεως. Ὁ ᾠδοκαλῶν ἡμᾶς ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν, εἰς τὸ δύνασθαι ἡμᾶς ᾠδοκαλεῖν τὴς ἐν πάσῃ θλίψει, ἀλλὰ τῆς ᾠδοκαλήσεως, ἣς παροκαλέμεθα αὐτοὶ ὑπὸ Ἰ. Ἰησ. Ὅτι καθὼς παροκαλεῖται τὰ παθήματα Ἰ. Χριστῶς εἰς ἡμᾶς, ἔτω ἀλλὰ Χριστῶς παροκαλεῖται καὶ ἡ ᾠδοκαλήσις ἡμῶν. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater, inquam, ille misericordiarum, & Deus omnis consolationis author. Consolans nos in omni oppressione nostra, ut possimus in quavis oppressione positos consolari, ea ipsa consolatione, qua nos ipsos Deus consolatur. Nam sicut abundant perpassiones Christi in nos: ita per Christum abundat, etiam consolatio nostra.* 2. Cor. I. 3. 45.

IV. Est autem *Christiana consolatio S. Martyrum*, omniumque adeo fidelium hostium Christi persecutionibus pressorum, ut paucis finiam, *suavis excitatio, commotio & sublevatio animi, adversis hujus vite, ipsiusque mortis quandoque, etiam crudelis horrore tentati, quæ Deus consolator ex immensa bonitate & amore erga suos, morus eorum sorte ob confessionem nominis ipsius asperrimâ, eos contritos, humiliatos, lugentes & in faucibus mortis positos ita Spiritu & verbo suo erigit, suaviter demulcet & sustentat, ut sedatis illorum affectibus ex eodem verbo suo illis suggerat consolationem validam, seu argumenta consolationis irrefragibilia, quibus vera fide, charitate, & spe accedente muniti probèque instructi, timorem mortis, adversorumque presentium & imminentium vincunt, & cum lætitia spiritali eundem commutantes, per stadium spei ad palmam supernæ vocationis & propositi agonis felicem consummationem alacriter contendunt, ad gloriam Dei, & salutem tum communem Ecclesie, tum propriam ipsorum S. Martyrum, omniumque persecutionis sustinentium.* Rei maximæ imaginem in exiguo veluti hoc annulo expressam, expansius diducere, præcipuasque ejus partes persequi, cætera verò piorum religiosis meditationibus expendenda relinquere, animus nobis, studiumque erit.

Consolatio
Christiana
definitur.

V. Consolationis igitur hujus Christianæ αἰνον κύριον, *Supremus Author est DEUS T. O. M. Consolator unicus, seu Θεὸς πάσης τῆς ᾠδοκαλήσεως DEUS omnis consolationis, 2. Cor. I. 3. & Θεὸς τῆς ὑπομονῆς καὶ ᾠδοκαλήσεως, Deus tolerantia & consolationis, Rom. XV. 5. Is nempe ᾠδοκαλεῖ τὴς ταπεινῶς consolatur humiles, 2. Cor. VII. 6. dum videlicet בְּלִבְיָ רַבֵּן loquitur ad cor eorum Hof. II. 14. hoc est, animos eorum tristitiæ & metus vulneribus faucios, interiori suavique alloquio & promissionibus saluberrimis erigit, demulcet, taliæque iis insinuat, quæ non sine sensu voluptatis gaudiisque*

Supremus
ejus author
est Deus
T. O. M.

dióque maximo audiunt & percipiunt. Unde S. David Psal. XCIV. 19. *In multitudine cogitationum mearum, in intimo meo תנחומיך consolationes tuae latificârunt animam meam.* Et Jobum afflictionum Divinarum telis tantum non obrutum ita Eliphazus alloquitur: *הא תנחומות ממך טעמה An parum pra te sunt consolationes Dei?* Job. XV. 11. Sicut nempe omne munus bonum, & omne donum perfectum superne descendit à Patre luminum Jac. I. 17. ita etiam consolatio afflictorum vera, solida & efficax non nisi ejusdem liberali donatione obtingere cuiquam Mortalium potest. Praclare S. Hieronymus in Soph. cap. 3. *Dominus fortis, cui nemo potest resistere, Salvator tuus. Ipse tibi reddet latitiam, quam perdidisti: & veteri homine projecto in novo te ambulare faciet: & haec faciet in dilectione sua; non tuo merito, sed misericordiâ suâ. Et letabitur in te, & delectabitur, quasi pinguiſſimam solennitatis tuae hostiam suscipiens salutem tuam. Et ipse tibi dicet: Congregabo contritos tuos. Cor quippe contritum & humiliatum Deus non despicit, & calamum contritum non confringet.*

Isque Deus
Pater,
Filius,
ωδὸς
κλητος
inde &
ὁπν
dictus.

VI. Cùm verò S. Trinitatis opera communia personis omnibus sint & indivisa, etiam consolationem ab omnibus S. Trinitatis personis proficisci patet. Ita enim Deus Pater *benedictus ille Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater miserationum, & Deus omnis consolationis* dicitur, 2. Cor. I. 3. Et 2. Thessal. II. 16. 17. tum Christo, tum Patri tribuitur his verbis: *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, & Deus et Pater noster, qui dilexit nos, καὶ δὲς ωδὸς κλησιν αἰωνίαν, & dedit consolationem aeternam, & spem bonam in gratia, ωδὸς καλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας, consoletur corda vestra, & confirmet vos in omni sermone & opere bono.* Christus certè est, qui Angelum Ecclesiae in Philadelphia consolatione & promissione auxilii sui ita erigit Apoc. III. 10. *Quoniam servasti sermonem patientiae, ego quoque servabo te ex hora tentationis.* Et Angelum Ecclesiae Smyrnenſis sic consolatur idem Apoc. II. 10. *Nihil time eorum, quae passurus es. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae.* Et Christi tum passionem, tum consolationem ad fideles redundare idem testatur 2. Cor. I. 5. *Sicut redundant passiones Christi in vos: ita per Christum εἰσδὲ καὶ ἡ ωδὸς κλησις ἡμῶν, redundat etiam consolatio nostra.* Communicatio proin passionum Christi, & consolationis ejusdem individuo nexu cohaerent. Et sanè omnis consolatio fidelium est ωδὸς κλησις ἐν Χριστῷ, *consolatio in Christo*, Phil. II. 1. adeoque ita à merito

merito & iustitia Christi pendet, ut absque ea fuisset, Divinae gratiae erga hominem peccatorem fons aperiri pandique aeternum non poterit. Unde à Deo Patre missus in carnem dicitur **קנח** **קנח** **לכ** *ad consolandum omnes lugentes*, Esaj. I. XI. 2. Et Simeon ille iustus ac timens Domini Messiam anxie praestolatus **קנח** **קנח** **לכ** *consolationem Israelis expectasse* Luc. II. 25. dicitur. Quam etiam ob causam à veteribus Hebraeis in Libro Thalmudis, qui *Lamentatio Magna* dicitur, Messias **קנח** **קנח** **לכ** *Menachem*, hoc est, **קנח** **קנח** **לכ** *consolator* dictus est, uti etiam Hieronymus *lib. 1. de S. fide* retulit.

VII. Inprimis autem Deus consolatur per Spiritum S. quem Filius à Patre mittit, ut nos tum doceat, tum consoletur in adversis. Hinc Christus ipse Joh. XV. 26. *Cum venerit igitur Spiritus ille veritatis, qui à Patre procedit, ipse testificabitur de me.* Sive enim **קנח** **קנח** **לכ** *hinc advocatum seu interpellatorem, oppositum τῷ κατηγορῶ accusatori, notat, officio illo intercedendi & interpellandi, desideriaque & suspiria in fidelibus excitandi, quam maximè Spiritus S. consolatur: si- ve consolatorem, ut idem sit quod **קנח** **קנח** **לכ** *aut **קנח** **קנח** **לכ** *Spiritus S. munus eximium consolandi in quolibet casu aperte exprimitur. Unde Ecclesiae dicuntur τῇ **קנח** **קנח** **לכ** *πνεύματι ἁγίῳ, consolatione Spiritus S. multiplicari, Act. IX. 31. Et sanè Spiritus S. tanquam consolator lætitiā etiam in cordibus fidelium efficit. Unde Regnum Dei dicitur esse **κἀρε** **ἐν** **πνεύματι** **ἁγίῳ**, lætitiā in Spiritu S. Rom. XIV. 17. Et fideles sermonem Dei excepisse dicuntur **ἐν** **θλίψει** **πολλῇ** **μὲν** **κἀρε** **πνεύματι** **ἁγίῳ** *in tribulatione multa cum lætitiā Spiritus S. 1. Thessal. I. 6. Neque aliam ob causam Spiritus S. comparatur cum **יָשׁוּב** **יָשׁוּב** *oleo gaudii, Psal. XLV. 8. cum fonte aquæ vivæ, Joh. VII. 38. 39. quam quia ex ipso & per ipsum omnes divitiæ cœlestes & consolationes ad nos manant. Scitè igitur Tertullianus *Lib. ad Martyres Spiritum S. vocat *Χριστάρχην* Martyrum, quia videlicet sacrae illorum palæstræ præest, iuctamque eorum excitando, consolando, contra accusatores apud Deum interpellando moderatur.*******

VIII. Colligitur hinc, vitream & inanem esse consolationem omnium irrogenitorum & infidelium, qui vel veri Dei notitiā prorsus destituuntur, vel Dei saltem Spiritu, utpote quem mundus non capit, non aguntur. Qualiscunque enim illis in adversis consolatio affulget, non à Deo certè illa proficiscitur, sed ab homine merè **ψυ-**

Inprimis Spiritus S.

Vnde consolationis Philosophicæ vanitas arguitur.

κακῶ ἀνιμαλί, qui cū non sit capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. II. 14. non potest εὐθυμία seu tranquillitatem & serenitatem animi, pulsa tristitiæ & dolorum tempestate caliginosa, suis θεληματίοις revocare. Vulgò quidem persuasum est, omnes rectè valentes consilia dare ægrotis posse. At de illis omnibus, qui veri Dei notitia destituuntur, vel à Spiritu S. non inhabitantur, sani licet videantur, dici potest: *Aliorum medici ipsi ulceribus sciantur*. Neque enim aliter sani sunt, valentque, quàm quòd malorum suorum sensu, brevi temporis momento, minùs afficiuntur. Quòd si igitur animalis homo se ipsum consolando non magis erigere potest, quàm in agone suo Cato Uticensis semetipsum erexit, quid idem alteri cum angustiis confictanti præstiterit?

Causa
Deum ad
consola-
tionem
movens est
ejusdem
εὐδοκίᾶ.

IX. Causa quæ Deum movet ad consolandum affictos, in ipso quidem est pura pura εὐδοκίᾶ, seu beneplacitum, immensa bonitas & ineffabilis erga eos, qui in Christo sunt, amor: non ullum affictorum meritum. Unde David non nisi gratiam & clementiam Dei implorat Psal. CXIX. 76. 77. *Sit quaeso misericordia tua ייחנני ad consolandum me. Veniant mihi ייחנני miserationes tue, & vivam*. Et S. Paulus 2. Thessal. II. 16. 17. *Ipse Dominus noster Jesus Christus, et Deus ac Pater noster, ὁ ἀγαπήσας ἡμᾶς, καὶ διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος αἰώνιον, καὶ ἐλπὶδα ἀγαθὴν ἐν χάριτι, qui dilexit nos, & dat consolationem aternam, & spem bonam in gratia, consoletur corda vestra*. Rectè proin & piè S. Hieronymus in cap. 63. Esaj. scribit: *Pressus pondere malorum, in nullo alio, nisi in Dei misericordia spem habeo, qui facit misericordiam in millia diligentibus se, &c.*

Extra
ipsum mi-
seria ho-
minis.

X. Sicut autem juxta tritum illud S. Bernhadi *Epist. II. omnis misericordia miseriam intuetur*: ita Dei misericordiam ad consolandum extra se nihil aliud movet, quàm miseria, seu asperrima fors eorum, qui ob confessionem nominis ejus dirissima quæque in mundo patiuntur, & imminentis etiam horribilis mortis naturali terrore tentantur percellunturque. Hac nimirum sorte verè Deus afficitur, & consolando efficacissimè, quod durum est, lenè; quod acerbum, dulce efficit. Neque enim *arundinem quassatam confringit, vel linum fumigans extinguat*, Matth. XII. 20. *Confitebor tibi Jehova*, ita Ecclesia Etaj. XII. 1. loquitur, *quoniam iratus fuisti contra me, aversus est furor tuus, ייחנני & consolatus es me*. Eadem causâ se commotum Christus ipse significat Apoc. II. 9. *Novi opera tua, καὶ τὴν θλίψιν, καὶ τὴν πτωχείαν & afflictionem, & paupertatem*
(dives

(dives autem es) & blasphemiam dicentium se Judaeos esse, &c. Nihil time. Vivum consolationis ejusmodi exemplum extat Ezech. XVI. 4. 5. &c. *Nativitas tua talis est &c. Non misertus est tui oculus ullus, ut faceret tibi unum ex his, ut misereretur tui. Et projecta es supra faciem agri cum abiectione animae tuae, die quo nata fuisti. Et transivi juxta te, & vidi te, & dixi tibi: בְּדַמְּךָ תֵּחִי In sanguine tuo vives. Dixi, inquam, tibi: In sanguine tuo vives.* Si unquam misera, abjecta & iniqua est sors fidelium, humano judicio miserrima certè & iniquissima est tum, cum inter manus & in potestate versantur hostium veritatis, cumque κείμα & θανάτος *judicium mortis violentiae,* & carni quàm maximè adversæ vel exceperunt, vel in momenta expectant. Tum enim non tam de caduci corporis, quàm de animæ, quæ nullam in mundo compensationem habet, salute agitur. Hoc igitur in certamine decretorio Deus benignissimi Patris instar, miseratus sortem illam filiorum suorum, præsentissimus adest. *Sicut miseretur Pater filiorum: ita miseretur Jehova timentium se. Quia ipse cognoscit figmentum nostrum, recordatur, quòd pulvis simus, Psal. CIII. 13. 14.*

XI. Consolatione igitur hac afficiuntur non illi, qui in carnali securitate vivunt, sed lugentes & afflicti. *Beati sunt πενθόντες lugentes, quoniam ipsi consolationem accipient, Matth. V. 4. Et S. Paulus 1. Thess. V. 14. Ὁραμενθε εἰσθε τὰς ὀλιγοψύχους, consolaminiis pusillanimes, sublevate infirmos &c.* Præterea benedictione consolationis hujus afficiuntur non tam aures externæ corporis, quàm cor hominis, & quidem contritum ac humiliatum; seu עני ונכה רוח *pauper & contritus spiritu, Esaj. LXVI. 2. רוח נשברה לב נשבר Spiritus confractus, cor confractum & contritum, Psal. LI. 19.* Unde S. Paulus ita potissimum precatur: *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus &c. Ὁρακαλέσαι ὑμῶν τὰς καρδίας consoletur corda vestra, 2. Thess. II. 16. 17.* Ideo phrasi Hebraica, דבר על לב *loqui ad cor (Esaj. XL. 1.)* idem est, quod cor intus consolatione efficaci, solida, penetrante exhilarare, vivificare. Frustra certè verba consolatoris foris aures ferient, nisi consolatio cor hominis afflicti suaviter intimèque afficiat. Tum demum autem cor afficietur, si priùs contritionis ex peccatorum & offensi benignissimi Numinis sensu exorta malieo probè contusum, medela sibi opus esse senserit, eamque avidissimè expetiverit, & Divino munere oblaram summa cum gratitudine amplectendam censuerit.

Subiectum consolationis est homo lugens, cor inprimis contritum.

XII. Spi.

Spiritus S.
consolan-
tis *ευωαι-
λου* est
Dei ver-
bum.

XII. Spiritus Sancti consolantis *ευωαιτου* est verbum Dei scriptum. Passim id Hieropsaltes decantat. Ita autem ille Psalm. CXIX. 24. Testimonia tua sunt *ευωαι* oblectationes mea, *ישועי* viri consilii mei. v. 50. *תהי לי נחמה* Hac est consolatio mea in afflictione mea, quia eloquium tuum vivificavit me v. 92. 93. Nisi lex tua oblectationes mea fuissent, periissem in afflictione mea. In Seculum non obliviscor verborum tuorum, quia in ipsis vivificasti me. Nempe quæ prescripta sunt, ad doctrinam nostram prescripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, Rom. XV. 4. Quibus verbis innuitur, tum nihil in verbo Dei scriptum esse, quod non pertineat ad consolationem nostram, quia videlicet eadem eveniunt corpori, quæ capiti: & propter passiones capitis passiones corporis nullum amplius terrorem habent, quæ validissima consolatio est: tum totius Scripturæ summam in eo verti, quod in patientia per consolationem Scripturarum spem habeamus. Rectè igitur Irenæus lib. 11. 47. *Omnia Scriptura à Deo nobis data consolans à nobis invenietur.* Et Hieronymus ad Julian. *Ad Sanctarum Scripturarum gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina est, ubi dolorum certa remedia: in quibus recipit unicum filium mater in feretro; ubi turba dicitur circumstanti: Non est mortua puella, sed dormit. Ubi & quatruiduanus mortuus ad vocem inclamantis Domini ligatus egreditur.* Sed & S. Cyprianus Martyres consolaturus, ita Prefat. Exhort. ad Martyr. præmonet: *Ponenda sola illa, quæ Deus loquitur, quibus servos suos ad Martyrium Christus hortatur. Præcepta ipsa Divina velut arma pugnantis suggerenda sunt. Illa sunt militaris tubæ hortamenta, illa pugnantis classica. Inde aures erigantur, inde instruantur mentes, inde & animi & corporis vires ad omnem passionis tolerantiam roborentur.*

Ministerii
Verbi &
Sacramen-
torum in
eadem
consola-
tione usus.
Internæ &
externæ
consola-
tionis *ευ-
ωαιτου*
ευωαι-
του suavif-
sima est.

XIII. Multum etiam juvat ministerium Verbi & Sacramentorum, quod & institutioni & consolationi totius Ecclesiæ servire debet. Nam qui propheta, hominibus loquitur adificationem, & adhortationem, *ευωαι* & consolationem, 1. Cor. XIV. 3. Magno certè solatio est ei, qui pusillo animo est, si Divinitus quidem, sed homine tamen, qui *ομοιωται* est, internuntio, se se erigi, & in spem bonam vocari sentiat. Plenæque solidæ consolationis est illa internæ & externæ consolationis *ευωαιτου*. Quod enim in ordinaria consolationis liturgia foris Dei servi ad consolandos lugentes dicunt: id intus Spiritus Paracletus cordi annunciat, & arrhabone suo obsignat. Non rarò ea felicitas piis

Martyribus contigit, uti Martyrologia, libri, Epistolæ, veluti à Cypriano, Tertulliano, Calvino, Josepho Hallo, aliis ad Martyres inclusos scriptæ testantur. Extatque etiam plena dulcis succi & consolationis visitatio ἀγαπικη Caroli Drelincurtii, Theologi Magni & pia recordatione dignissimi, numero duodecima, qua is Martyrem in procinctu ad subeundum certamen stantem ex Dei Verbo solatur, & ad feliciter consummandum agonem suavissimè animat. Singulare quoque Divinæ providentiæ erga S. Martyres quatuordecim urbe Meaux Lutetiæ vicina oriundos, exemplum Martyrol. M. Lib. IV. init. commemorat. Cùm enim omni humana consolatione destituti animis languerent, Deus vili ex vicino pago textore cœlitus veluti submisso, & currum, quo illi vincti ad supplicium vehebantur, prosequente, tandemque unâ cum illis, tanquam novo Martyre Adaucto, vincto, eos pusillanimes admirabiliter erigi, confirmarique, & vires eorum pœne fractas renovari & redintegrari curavit.

XIV. Evenit tamen sæpius, ut sanctis Martyribus in carcerum squallore & numellis versantibus externi Ministri desint. Nunquam tamen illis deest sanctus Paracletus, sine cujus Numine & Ἰπυχορηγία nihil hominum commiseratio & solatium prodest. Sicut nempe dulcis est animæ & corporis humani conjunctio, quando mutuas operas tradunt; & illa quidem hujus ἐντελέχεια est, hoc verò instrumentum pulcherrimum organicarum functionum; statim autem atque anima à corpore discessit, hujus, quod in elementa sua paulò post resolvitur, nullus amplius usus, vigor nullus est: ita cùm Minister externus Spiritui S. inservit, magna etiam illius utilitas est; si tamen illius opera desit, hujus vis & gratia, à qua instauratio & salus nostra dependet, abundè ad salutem sufficit, illiusque defectum validè compensat.

XV. Sed hanc Spiritus S. validissimè consolantis solitariam operam celebrantes ipsos S. Martyres audiamus. Sic autem Hieromartyr Johannes Trigaletus. *Martyrol. lib. VI. pag. 679.* eam prædicat: *Verè dico, quòd Spiritus Dei, internus ille conscientia nostra doctor, ejusmodi nobis testimonium electionis, vocationis & adoptionis, nec non reconciliationis & justificationis nostræ per mortem & resurrectionem Domini nostri Jesu Christi impartitur, ut firmiter apud me statuam, me antehac toto vita mea tempore salutem meam ex publicis concionibus & lectionibus non ita didicisse, ejusque neutiquam perinde certum fuisse, atque nunc in hac ejus Schola in exploratione mei & persecu-*

Ea deficiente interna Spiritus S. consolatio abundè ad salutem sufficit.

De eo voces laudata S. Martyrum. Veluti Iohannis Trigaleti.

B

tione

Petri Scri-
bæ.

riore hac reapse experior. Dignissima eandem in rem memoratu sunt
verba alterius Hieromartyris & fortissimi athletæ Petri Scribæ, quæ
Martyrol. lib. IV. p. 425. ejusmodi extant: *Equidem magnas consolaciones Spiritus Dei antea percepi, ex quo Dominus me ad cognitionem verbi sui vocavit, in primisque dum in Ecclesia Dei, in sancto fidelium cœtu & conventu vixi: sed minima consolatio & letitia, quam paulò ante in his vinculis meis cepi & nunc capio, omnia solatia gaudiâque superat, quæ unquam in tota vita mea habuerim. Nunc enim Spiritus S. revocat mihi in memoriam tot & tam suaves promissiones factas iis, qui pro nomine ipsius patiuntur, gustûque ac sensu cœlestium gaudiorum afficiunt. Tu quidem, inquit, nunc in his locis obscuris tetrisque beatus es, quamvis à toto mundo ut miser & infelix rejiciaris, detestandûsque existimeris, non aliam ob causam, quàm quòd nomen meum confitere. Tu nunc in angore, lachrymis, squalorêque versaris: sed tempus est, ut te ipsum erigas, & in Deo authore hujus tam excellentis vocationis gaudeas, exitûmque hujus certaminis felicissimum, atque amplissimum victoria premium tibi proponas. Quòd si hoc tempore ducaris ad tormenta, cum summa ignominia & dedecore, ô beatum hominem, qui coram Deo ejûsque Angelis omnes Reges atque Imperatores hujus mundi honore ac dignitate superas. Nam primùm hoc modo imagini Filii Dei conformis consimilisque sis, ut ejus quoque glorie particeps fias. Deinde Spiritus glorie in te honorificentissimè requiescit: cujus quidem ea vis est atque præstantia, ut cœtera omnia hujus mundi vel solatia, vel ornamenta cum ejus consolatione comparata evanescant. Denique tu nunc es in Schola & disciplina Filii Dei, in qua Pater cœlestes omnes divitias ac thesauros gratiæ suæ, secretâque sapientiæ suæ admiranda, & judicia altissima explicat: in qua omnes Propheta, Apostoli, Martyres versati fuerunt, & injurias, opprobria, contumeliâsque perpeSSI instar ignis in fornace probati atque explorati perstiterunt, priusquam adipiscerentur coronam immortalitatis. Hac est Lectio, in qua Spiritus S. optimus filiorum Dei doctor, & suavissimus eorum, qui affliguntur, consolator nos quotidie in his nostris ærumnis consolatur & hortatur. Eodem spectant verba gloriosi non minùs Martyris Guy de Bres, quæ *Martyrol. M. lib. IX. p. 1430.* referuntur: Nunquam, ita ille, antehac cogitâsem, benignissimum Deum potenter ad eò miseræ creaturæ suæ adesse. Nunc demum experior, quàm fidelis sit Jesus Christus. Nunc demum in usum meum, quæ antehac alibi docui, converto. Cùm antehac predicâsem, tantùm non ut cæcus de coloribus loquebar, si comparem
cum*

Guy de
Bres.

cum eo sensu, quem nunc experior. Plus tempore captivitatis meae, quam toto reliquo tempore vite meae didici. Nobili in Schola hic sedeo. Spiritus Dei omnes cogitationes meas movet & excitat, docetque me, qualem in agone isthoc adversus hostes meos me geram. Atque hinc tot consolationes Divinae & luculentissimae, quibus S. Martyres in carcerum suorum claustris, procul omni amicorum alloquio, non se duntaxat, sed ipsos etiam amicos, charitates, Ecclesias, scriptis ad eas Divinis παρηγορητικαῖς, ad stuporem usque legentium, admirabiliter exerunt confirmaruntque.

XV. Adde denique, S. Martyres ex ipso quandoque Caelo Divina voce ad constantiam animatos esse. Id, teste Epistola Smyrnaea apud Eusebium *Hist. Eccles. lib. IV. 15*. S. Polycarpo contigit, ad quem stadium ingredientem vox Caelo delapsa pervenit hujusmodi: Ἰσχυε Πολύκαρπε, καὶ ἀνδρείως: Fortis esto Polycarpe, & viriliter age. Simile quid Megalomartyri Bohemo, Henrico Ottoni de Lofs, Komarovii Domino contigit. Is enim, uti habetur *Martyrol. Bohem. cap. LXVII. 3*. jamjam rapiendus ad supplicium, Rosacio visionem ejusmodi narravit: *Confederam in hac sella anxius, quod mihi non contigerit, à meis habere Verbi Ministrum, qui absolutionem & Eucharistiam ministrasset: dolereque cœpi et doleo, non tuis me usum sacris. In his cogitationibus momento indormivi, & ecce apparuit mihi Servator meus, qui dixit: Sufficiat tibi gratia mea. Ego enim sanguine meo emundo te. Demisitque guttam sanguinis in cor meum, à cuius contactu evigilavi, & exilii. Crede, mirabilis refrigeratio in corde meo!*

XVI. Extra Dei Verbum, ex quo tum Spiritus S. ipse, tum ejus Ministri consolationis argumenta depromunt, & piis Martyribus insinuant suggeruntque, animalis homo nullam veram solidamque consolationem afflictis subministrat. Nam pro Verbo Dei, quod solum vivum & efficax est, adhibet orationem, de qua splendide dici solet: ψυχῆς νοσησίας εἰσι ἰατροὶ λόγοι. *Egrotato animo medicus est oratio.* Ita Menander: τῷ μὲν τὸ σῶμα διαπεθειμένῳ κακῶς, χρεῖ ἐστὶν ἰατρῆς. τῷ δὲ τὴν ψυχὴν φίλῃ. λύπην γὰρ εὖνεος οἶδε θεοπέπειν λόγος. *Ei qui corpore malè dispositus est, medico: Ei qui anima laborat, amico opus est. Tristitiam sapiens oratio abstergit.* Sed verò quæ oratio, quæ carmina animum addere potuerunt Dario ultimo Persarum Monarchæ, quando post tantam rerum suarum inclinationem & mutationem à Bassa Bactrianorum Præfecto circumventus & nefarie interfectus est? Num solatio illi esse potuit elegans illa senten-

S. Martyres ex ipso Caelo ad constantiam quandoque animari.

Animalis homo, ejusque interpretatio ad consolandum profus incepta est.

tia Eutemonis Cymæi : *li optimè miseras ferunt, qui abscondunt : nec ulla est tam familiaris infelicibus patria, quàm solitudo & status prioris oblivio. Nam qui multum in suorum misericordia ponunt, ignorant, quàm celeriter lachrymæ inarescant.* Animum certè dolore exulceratum oratio libera radit : intempestivè faceta, quasi irridendo, offendit : lenis parùm afficit : lugubris dolere quodammodo jubet. Ab homine autem carnali non aliæ orationis formæ in luctu adhiberi consueverunt. Scitè etiam Plautus ait : *Nil agit, qui diffidentem verbis consolatur suis.* At ii, quibus consolatione opus est, vel inimici sunt, vel amici. Si inimici, suspicionem de *ἄνθρωποις*, etiamsi byssinis utare verbis, non faciliè de pulmone revellunt. Si amici, non tam verba, quæ in supremis sæpe labris nasci non ignorant, quàm omnis generis officia humanitatis solatio sibi fore testantur. At hæc si desiderent, parùm verbis, etiamsi Suadæ medullam adhibeas, afficientur. Quod igitur de Divinis Propheta Zacharias, idem de consolatoribus Philosophis haud immeritò dixeris : *Divini viderunt mendacium, & in vanum consolabantur, Zach. X. 2.*

Philosophorum de consolatione variantes sententia rejectæ.

XVII. Philosophorum luce verbi Divini destitutorum de consolatione sententias, quas verè dixeris esse ægritudinis & doloris humani malagmata qualiacunque, & *σφαὶ φάρμακα*, breviter his verbis Cicero *Thuscul. Quest. lib. III. 64.* complexus est. *Hæc igitur inquit ille, sunt officia consolantium, tollere ægritudinem funditus, aut sedare, aut detrahere quàm plurimum, aut suppressere, nec pati manere longius, aut ad aliam traducere. Sunt qui unum officium consolantis putent, malum illud omnino non esse, ut Cleanthi placet. Sunt qui non magnum malum, ut Peripatetici. Sunt qui abducunt à malis ad bona, ut Epicurus. Sunt qui satis putant ostendere, nil inopinati accidisse, nihil mali. Chrysippus autem caput esse censet in consolando, detrahere illam opinionem mœrenti, si se officio fungi putet justo atque debito. Sunt etiam, qui hæc omnia genera consolandi colligunt. Alius enim alio modo movetur, ut serè nos omnia in consolationem unam conjecimus. Variæ nempe Philosophorum sectæ varias consolationum formas ingeniosè magis quàm verè & utiliter excogitarunt. Stoici mala non esse, quæ in ægritudine adversisque casibus mala esse putentur ; & ferendum, non culpandum esse, quod vitari non potest : Epicurei dolentes & miseros à malis ad bona revocandos, & doloris in longinquitate levitatem, in gravitate brevitatem*

tatem representandam esse: *Peripatetici*, mala non esse magna, bona verò maxima, & meliora semper speranda esse: *Academici*, non conquerendum esse in adversis, quòd incertum sit, id quod accidit, bonum ne an malum sit; nihilque dolorem ad sequentia conferre, tradiderunt. At de omnibus & singulis illis Philosophorum consolationibus dici verè potest verbis Davidis: **מַדְּבַר אֱוִיל** **וְכִינֹר מַדְּבַר** *Mendacium est salus, (consolatio) hominis*, Psal. LX. 13. Nulla enim est, quæ animo saucio vel guttam solidæ consolationis instillare potis sit. Extra Christum, qui pro nobis factus est κατὰ ἐγὼ *maledictio*, omnia plena sunt maledictione, neque boni quidquam homini peccatori adfulget. Falsæ igitur & vanissimæ sunt κατὰ ἐγὼ illæ δόξαι, dolorem, ægritudinem, merum mortis, ipsamque mortem per se vel non esse mala; vel non esse magna mala; vel bonorum spe & intuitu obrui posse; vel ab iis ad bona hominem revocari posse; vel levitatem in longinquitate, brevitatem in gravitate doloris mederi quicquam posse, cum & gravissima & æterna mala immineant vel incertum esse, quòd dolor & ægritudo, quæ peccati stipendia sunt, verè mala non sint; vel denique dolorem & ægritudinem, quæ certissimorum malorum prodromi sunt, ad sequentia nihil conferre. Stoicorum quoque consolatio *opinionis*, *fati* & ἀπαθείας seu ἀναληψίας dogmatis, quæ vulgari sensu accepta oppidò absurda sunt, innotuitur. Epicureorum voces, quales Cicerone *Thuscul. quest. lib. 2.* teste ejusmodi erant: *Si uratur Sapiens, si crucietur, in Phalaridis tauro si erit, dicet: quàm suave est hoc? quàm hoc non curo?* (quasque plures etiam Gassendus *Philos. Epicur. Syntag. part. 2. cap. 21. 22.* reperit;) ipsi saniores Ethnici flocci fecerunt, & ludis scenicis exagitârunt. Quid igitur nobis Christianis deferendum iisdem sit, obscurum esse potest nemini. Peripateticorum quoque spei bonæ facem caliginosæ adversitatum nocti afferentium consolationem sic Cicero idem *lib. 3. de Orat.* perstrinxit: *O fallacem hominum spem, fragilèmq; fortunam, & inanes nostras contentiones: quæ in medio spatio saepe franguntur & corruunt: & ante in ipso portu obruunt, quàm portum conspiciere potuerint.* Denique & Academicorum ἀκαταληψία merum est tum sanæ mentis, tum sensuum externorum ludibrium.

XVIII. Inprimis autem id extra controversiam est, eas de-

Christiana
consola-
tionis præ-
rogati-
væ
insignis.

niosissimam & acerbissimam vitæ suæ meritò anteponat. At nullæ hoc Philosophicæ consolationes hominibus sanis & non laborantibus vel fanatico œstro, ut Donatistæ, qui seipso ex alto præcipites dabant: vel κενολοξία, qualis fuit in eo, de quo Poeta dixit:

Deusque videri

*Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aethnam
Insiliit;*

persuadere unquam potuerunt. Quæ verò mortis etiam violentæ ἀνὸ φάρμακα Philosophicæ consolationes hîc negârunt, ea Christianæ Dei Verbo innixæ ὄλω θυλάκω, uberrimèque adeò præstant. Unde Justinus Martyr, ante conversionem suam Philosophiæ Platoniciæ ætate sua ἐργασιακήτης, hanc conversionis suæ occasionem fuisse testatur, quòd sæpe ob fidem Christi Alexandria duci videret nobiles, ignobiles, pauperes, divites, doctos, idiotas, juvenes, virgines, matronas, senes, quibus vitæ & bonorum optio dabatur, modò parati essent à Christianismo ad Paganismum transire, & Christo Jesu nuntium remittere. Ita autem de se ipso loquitur *Apolog. I. pro Christ. pag. m. 50.* καὶ γὰρ αὐτὸς ἐγὼ τοῖς Πλάτωνος χαίρων διδασκασι, μαβαλλομένους ἀκρίων Χριστιανὸς, ὁρῶν δὲ ἀφόβως πρὸς θάνατον, καὶ πάντας τὰ (ἄλλα) νομιζόμενοι φοβεροὺς ἐνεόχων ἀδύνατον εἶναι ἐν κακίᾳ καὶ φιληλο- νία ὑπάρχον αὐτῶν. Τίς γὰρ φιλήδωνος, ἢ ἀκροατῆς, καὶ ἀνδρωπίνων σερ- κῶν βορῶν ἀγαθὸν ἠγασάμενος, δύναιτο ὦν θάνατον ἀπαύζεσθαι, ὅπως τῶν αὐτῶ ἀγαθῶν σερηθῆ. ἀλλ' ὅτι ἐν παντὸς ζῆν μὲν αἰεὶ τὴν ἐνταύθε βιοτήν, καὶ λαυθάνειν τῶν ἀρχόντων ἐπιδέξομαι, ἔχ ὅτι γε ἑαυτὸν κατήγχελλε φονε- θησόμενον. *Nam ego ipse Platonis disciplina sectator, cum calum- niosè audirem Christianos deferri, intrepidè autem ad mortem & alia, qua terribilia esse censentur omnia, adire conspicerem: statui ipse me- cum, geri haudquaquam posse, ut illi in vitiorum pravitate & volupta- tum amore viverent. Quis etenim voluptatis consecrator, aut per animi impotentiam intemperans, & humanarum carniū dapes pro bono du- cens, mortem libenter complecti queat, ut bonis suis se ipsum privet, ac non potius modis omnibus, ut hanc sibi continenter vitam agere, & ce- lando Principes & Magistratus fallere liceat, operam navet, nedum per denuntiationem & iudicium se ipsum cædi offerat?*

Spiritus S.
consolan-
tis opus
eximium
est coerci-

XIX. Inter Spiritus S. consolantis opera haud postremum illud est, quòd veterem hominem à cruce abhorrentem, & carnem restitantiem reprimit, pravòsque affectus sedat & coercet. Miranda enim est affectuum cordis humani etiam in regentis varietas & suc-

successio. Estque homo affectibus deditus chamæleontis instar. Nunc enim vana spe, nunc fallaci gaudio delusus cornua sumit. Nunc desperat, ubi bene sperandum erat: dubitat, ubi firmiter credendum: irascitur, ubi nulla causa est: non commovetur, ubi zelo opus est: denique impetuosi maris instar quiescere non potest, donec excusso perturbationum iugo Spiritui S. se totum permittit, moderatione & æquitate delectatur, discitque illud Christi: *Beati πρᾶξις mites, quoniam terram hereditatis jure possidebunt*, Matth. V. 5. & in ipsis afflictionibus *καυχᾶται gloriatur* Rom. V. 3. Inter multa igitur alia, quæ is, qui ad crucem se præparat, à Deo petere debet, haud postremum *αἴτημα* est, ne se tradat perturbationibus, tanquam violentis rapidisque gubernatoribus, illudendos & excarnificandos, juxta illud Davidis: *Etiām* *ⲙⲓⲛⲏ* à superbiis prohibe *servum tuum, ne dominantur mihi. Tunc ero integer, & immunis à pravicatione magna*, Psal. XIX. 14. Cujus petitionis compotes Spiritus S. facit. Unde cum igne comparatur Matth. III. 11. quia assidue gliscentes concupiscentias & vitia exurit, & ex adverso corda amore Dei & proximi accendit. Atque hunc affectuum indomitaque carnis, tanquam hostis domestici infensissimi cum Spiritu conflictum S. Martyrem Claudium Monierum *Martyrol. lib. IV. pag. 380.* graphicè delineantem videre licet.

tio carnis
 & affe-
 ctuum à
 cruce ab-
 horren-
 tium.

XX. Proximum Spiritus S. consolantis opus est, quòd ex Dei Verbo suggerit *ἰαυεγὶν ὡδὸν κλησὶν validam consolationem*, hoc est, argumenta irrefragabilia, omnique exceptione majora, quibus laborantes fideles, metuque mortis exanimatos *πενωπλίζει*, instruit, ac confirmat, & tanquam oleo lætitiæ delibutos, lætos, alacres & vegetos reddit, ut jam non tam *τὸ ὀδυνητικὸν ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως*, *momentaneam levitatem afflictionis*, quàm κατ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρῃ δόξης *excellenter excellentis gloria pondus æternum* (2. Cor. IV. 17.) cogitent, animoque adversus casus impendentes obfirmato dirissima quæque supplicia, Christi confitendi gratiâ, non amplius reformident. Argumentis ejusmodi & incentivis ad promptam patientiam Dei Verbum scætet & abundat, ex quo ea tum veteres tum recentiores Theologi, & deditâ quidem operâ Cyprianus, Tertullianus, Augustinus, Calvinus, Melancton, Ursinus, Altingius, aliique excerpserunt. Nos palmaria repetere, certâque in classes digerere pluribus aliis, ad compendium positis, eadèmq; ipsorum S. Martyrum veterum & recentiorum verbis emortalibus cedro æternâque memoria dignis illustrare conabimur.

Proximum
 ejusdem
 opus est in-
 sinuatio
 consolatio-
 num ex
 Dei Verbo.

Fontes
 seu argu-
 menta con-
 solatio-
 num ex
 Dei Verbo
 promun-
 tur, & S.
 Patrum ac
 Martyrum
 ipsorum
 veterum &
 recentio-
 rum diè
 illustran-
 tium.

Consolatio I petita à gratia remissionis peccatorum, quæ omnium reliquarum basis est.

XXI. *Primò igitur consolatur & erigit gratia remissionis peccatorum per Christum, quam credentibus in ipsum obtingere ubique S. literæ testantur. Hæc præcipua consolatio est, & basis reliquarum omnium. Absque hac est, consolationes omnes reliquæ fucum faciunt, neque sustentare possunt incertos de amore Dei in Christo, nostrique cum ipso reconciliatione. Quandiu enim peccatum manet, etiam ira Dei. κέντρον θανάτου aculeus mortis, & lex potentia peccati 1. Cor. XV. 56. manet, nullæque promissiones Divinæ applicari possunt: ipsa denique supplicia etiam sævissima non tam martyria vel probationes, quàm λύπηραι poenæ peccatorum, graviorumque etiam infallibiles prodromi censendæ sunt. At gratia meriti Christi & remissionis peccatorum fide salutari apprehensâ, reliqua sponte sequuntur fluuntque. Si enim Deus Pater noster in Christo est, nulla igitur condemnatio restat: nihil à charitate Dei, qua in Christo Domino nostro est, separare nos potest. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. VIII. 1. 31. 38. Exclamare licet cum S. Paulo 1. Cor. XV. 55. 56. 57. Ubi tuus, mors, aculeus, ubi tua, inferne, victoria est? Gratia sit Deo victoriam nobis concedenti per Dominum nostrum Jesum Christum! Sicut peccatum omnium malorum, maledictionis, mortis infelix lerna est: ita eo per gratiosam remissionem sublato maledictio, mors perniciofa cessat, omniæque in contrarium vertunt. Atque argumentum hoc ad persecutiones transtulit Apostolus Rom. V. 1. 2. 3. Δικαιωθέντες ἐν ἐμπίστω, Justificati igitur per fidem pacem habemus cum Deo per Dominum nostrum Jesum Christum. Per quem etiam accessum habuimus, fide in gratia illa, in qua perstitimus, & gloriamur in spe gloria Dei. Neque hoc solum, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσιν, sed etiam gloriamur in afflictionibus, scientes, quòd afflictio patientiam operetur, patientia probationem, probatio spem; spes autem non pudefacit. Justificatio igitur, hoc est, remissio peccatorum & reconciliatio cum Deo in afflictionibus gloriabundos efficit; tantum abest, ut fideles iis se commoveri & à Christo transversos abripi patiantur. Et justitiam fidei certam spem glorificationis conjunctam habere, Apostolus idem Cap. VIII. 14. usque ad finem pluribus argumentis conficit, inter quæ haud postremum illud, quòd justificati per fidem ἐν συμπάρομεν, καὶ συνδοξαθήσομεθα, si unâ cum Christo patimur, futurum sit, ut unâ glorificemur, v. 17. Eodem respicit S. Petrus 1. Pet. III. 17. 18. Melius est bona facientes, si voluntas Dei voluerit, pati, quàm mala facientes. Nam & Christus semel pro pecca-*

peccatoribus passus est, justus pro injustis, ut nos adducat. Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu.

XXII. Palmario hoc argumento S. Martyres ad sustinendum intrepidè agonem fortiter se invicem animarunt. Multorum instar est Franciscus Varlut Flandrus, qui ad captivitatis & Martyrii imminentis Socios in hæc verba, quæ *Martyrolog. M. lib. VIII. p. 1198.* extant, differuit: *Altissime infixum animo nostro esto vel unicum hoc argumentum, quòd Dominus Jesus noster morte sua omnia peccata nostra expiavit, quòdque adeò omnes, qui obedientie ipsius merito nituntur, aeterna salutis compotes certò futuri sint. Unico & aeterno sacrificio suo omnes electos ita ille sanctificavit, ut nulliis, qui in Jesu Christo sunt, condemnatio supersit. Quidni vel unum hoc totius Theologiae loco sit, ad vincendum omnes hostes nostros, quod ad justificandum nos coram Divina Majestatis tribunali solum sufficit. Et propter remissionem peccatorum crucem non amplius maledictam, sed benedictam esse, insignis ille Christi palæstrites Petrus Brullius *Martyrol. lib. III. pag. 305.* his verbis monuit: *Christus passus est, ut crucem nostram sua passione sanctificaret. Non amplius ergo carceres, virgas, opprobria, catenas ferreas, tribunalia, ignes, omnèsq; Diabolorum, omnium & mundi impii machinas metuimus, utpote quæ non amplius maledictæ, sed certissima Divina erga nos gratia $\tau\epsilon\lambda\epsilon\iota\alpha$ & testimonia sunt. Profectò, Fratres, mors Jesu Christi ab aeterna morte nos liberat, & temporalem simul mortem nostram sanctificat. Ejus captivitas, flagellatio, judicium, catena, opprobria, nostram captivitatem, flagellationem, judicium, catenas, opprobria sanctificant. Sed & Petrus Scriba Hieromartyr celebris commilitonibus suis seriò ad animum revocat, calicis iræ Divinæ amaritudinem à Christo jam exhaustam esse. Omnes, ita *Martyrol. lib. IV. pag. 429.* scribit, *ex calice, quem Dominus in manibus suis habet, bibere, atque ita Christum imitari debemus. Forti ergo simus animo, & calicem etiam illum hilariter bibamus. Ipse enim nostro loco amarum fel & venenum hausit. At impii & damnati quamvis inviti fæces sorbebunt, miserèq; peribunt. Denique Johannes Bradfordus *ibid. lib. V. p. 640.* ἀξιωματικὸς & illa hostibus suis opposuit: *De me fiat voluntas gratiosa Domini. Vita enim cum Dei ira conjuncta morte ipsa acerbior est: cum Dei verò gratia conjuncta vera vita est.****

XXIII. Atque huic consolationum omnium fundamento accedit *Secundò* ex Dei Verbo recta bonorum malorumque æstima-

De ea laudata voce S. Martyrum, Franciscus Varlut.

Petri Brullii.

Petri Scribae.

Joh. Bradfordi.

Consolatio II. peccata à recta

C

tio,

bonorum
malorum
que affi-
matione.]

tio, sine qua nulla etiam vera & jucunda consolatio esse potest. Sæpe quidem pii carnis infirmitate seducti bona pro malis habent, non satis perpendentes illa S. Jacobi cap. I. 2. 3. *πάσῃ χαρῇ ἡγήσασθε, ἀδελφοί μου, ὅταν πειρασμοῖς ἐπιπέσητε πικίλοις.* Pro summo gaudio ducite, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes probationem fidei vestra operari patientiam. Hinc ergo crucem, mortificationis carnis exercitium, nostram cum Christo per adversa conformationem, in malorum censum albumque perperam referunt. At saniori iudicio ex Dei Verbo confirmato, Spiritu S. duce iidem agnoscunt, nullam iis, qui in Christo sunt, condemnationem timendam: adversa omnia θεοπέμπτα, adeoque vel dirissimam etiam mortem, Deo benedicente, cooperari ad bonum: omnem παιδείαν castigationem fructum tandem pacificum justitiæ iis, qui per eam exercitati sunt, afferre, Rom. VIII. 1. 28. Hebr. XII. 11. At inter vera mala referri non debet, quod consilio Dei optimo evenit, potenti ejus brachio disponitur, bonitate terminatur, ut homini sit emolumento. Opinio igitur, non fides est, quæ mala attollit exaggeratque, & veluti cothurnis quibusdam auget. Non rarò etiam fideles mala in bonorum censum referunt, veluti cum mundi pacem & fallacia bona expetunt: crucis & fidei divortium exoptant: ferulæ Dei manum subducunt: prius quàm certaverint, coronari & triumphare expetunt: pericula, quæ veritatis professionem comitari solent, silentio, hominumque Atheorum gratiam Dei offensione redimunt. At hanc quoque nebulam Spiritus S. Verbi Divini luce tandem discutit, mentesque fidelium sic illuminat, ut bona & mala rectius dignoscant, suo quæque loco habeant, lenocinia fraudesque carnis dispellant, non rationis intelligentiam, ceu ducem cæcum sequentes, sed Spiritus intelligentiam in consilium adhibentes. Bene igitur S. Augustinus de Civ. Dei lib. IV. 3. scribit: *Justis quicquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. Pro in bonis si serviat, liber est; malis autem si regnet, servus est, nec unius hominis, sed quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum.* Et lib. de Agone Christi cap. 7. disertius: *Ne nos moveat, quòd in hac vita secundum carnem, quam portant justis, multa gravia & aspera tolerant justis. Nihil enim mali patiuntur, quia jam possunt dicere, quod ille Vir Spiritalis exultat & prædicat Apostolus Paulus, dicens: Gloriamur in afflictionibus, &c.* Denique clarissimè idem de Civ. Dei Lib. I. 7. *Neque enim facit malam mortem, nisi quòd sequitur mortem, æterna videlicet condemnatio.*

XXIV. Hanc

XXIV. Hanc quoque consolationem Philosophi jaſtârunt, Stoici imprimis, aliique, quorum judicio ſola virtus boni, ſola malitia mali rationem habet: fortuita verò & adverſa neque bona, neque mala cenſentur, imò ad hominem nihil ſpectant, ſed aliena prorsus ſunt. Unde Sapienti ſuo *Φανταζομένην* tribuunt, quòd nihil prorsus perdere poſſit, nullamque injuriam pati. Seneca de *Conſol.* cap. 5. *Sapientis, inquit, nihil perdere poſteſt, omnia in ſe repoſuit, nihil fortuna credit, bona ſua in ſolido habet, contentus virtute, quæ fortuitis non indiget. Et paulò poſt: Unius in poſſeſſione virtutis eſt, ex qua depelli nunquam poſteſt. Cæteris precariò utitur. Quis autem jaſturâ movetur alieni? Quòd ſi injuria nihil ledere poſteſt ex his, quæ Sapientis ſunt propria, quia virtute ſua ſalva ſunt: injuria Sapienti fieri non poſteſt. Quin Sapientem in iſtis tormentis beatum eſſe prædicârunt Stoici. Ita enim Cicero lib. 3. de Finibus loquitur: Nam quid certius eſſe poſteſt, quàm ratione eorum, qui dolorem in malis ponunt, non poſſe Sapientem beatum eſſe, cùm in eculeo torqueatur? Contra autem eorum (Stoicorum) qui dolorem in malis non habent, ratio certè cogit, ut in omnibus tormentis conſervetur beata vita. Epicurus ipſe, tantus voluptatis magiſter, doloris hoſtis creditus, eodem Cicerone *Thuſcul.* lib. 2. prædicante, has voces emiſit: *Si uratur Sapientis, ſi crucietur, in Phalaridis tauro ſi erit, dicer: Quàm ſuave eſt hoc! Quàm hoc non curo!* Plura ejuſmodi ex Stoicorum aliorumque mente Lipſius *Manud. ad Philoſoph. Stoic.* lib. III. 6. attulit. At fruſtra illi talia ſine fide in Chriſtum, arrogantèrque jaſtârunt. Peccatori enim, qui fide in Chriſtum purgatus & expiatus non eſt, quicquid evenit, verè malum eſt, & in pœnæ ejus in hoc mundo incrementum potiùs, quàm in felicitatis adjumentum vertit. Meritò ita Stoicos S. Auguſtinus de *Civ. Dei* lib. XIX. cap. 5. pulſat: *Quæ mala Stoici Philoſophi miror qua fronte mala non eſſe contendant: quibus fatentur, ſi tanta fuerint, ut ea Sapientis vel non poſſit, vel non debeat ſuſtinere, cogi eam mortem ſibimet inferre, atque ex hac vita emigrare. Tantus autem ſuperbiæ ſtupor eſt in his hominibus, hîc ſe habere finem boni, & à ſe iſtis fieri beatos putantibus, ut Sapientis eorum, hoc eſt, qualem mirabili vanitate deſcribunt, etiamſi excæcetur, obſurdeſcat, obmuteſcat, membris debilitetur, doloribus crucietur, & ſi quid aliud talium malorum dici aut cogitari poſteſt, incidat in eum, quo ſibi mortem cogatur inferre: hanc in his malis vitam conſtitutam eos non pudeat beatam vocare. O vitam beatam, quæ ut ſiniatur, mortis querit auxilium!**

XXV. Tertio Dei voluntas, providentia, & ad crucem martyriumque ipſum vocatio validè conſolatur. Sicut enim omnes hu-

Fruſtra eadem à Philoſophis, Stoicis imprimis, jaſtâta.

Conſolatio III. à Dei volun-

ratē, provi-
dentia &
ad crucem
vocatione
arcessita.

mani eventus singulati Dei providentia dispensantur: ita etiam per-
secutiones non temerē seu casu fortuito, vel etiam pro Diaboli &
hominum libitu & arbitrio concitantur, sed certo definitōque con-
silio Dei imittuntur. Faciunt huc expressa testimonia sequentia.
Deut. XXXII. 39. Deus ipse dicit: **אני אמית ואחיה מחצתי ואני ארפה** *Ego occidam & vivificabo. Ego percutiam & sanabo.* 1. Sam. II. 6.
יהוה ממית ומחיה מוריד שאול ויעל *Jehova mortificat & vivificat: de-
scendere ad inferos, & ascendere facit.* Idque David humilimē agnoscit
Psal. XXXIX. 10. **כי אתה עשית** *quoniam*
יצר אור ובורא חושך *tu fecisti.* Esaj. XLV. 7. Deus de se loquitur: **עשה שלום ובורא רע** *Ego formo lucem & creo tenebras. Facio pacem &
creo malum. Ego Jehova faciens omnia haec.* Thren. cap. III. 38. **מפי עליון לא תצא הרעות והטוב** *Ex ore Altissimi non egredientur mala & bona?*
Christus hoc argumento inprimis Apostolos totius mundi odia &
inimicitias subituros erexit Matth. X 28. 29. *Nolite timere eos, qui oc-
cidunt corpus, &c. Nonne duo passeris denario veniunt, & nullus ex illis in terram
cadit, sine (nutu) Patris vestri. Vestri autem etiam capilli capitis omnes nume-
rati sunt. Ne igitur timetote. Multis passeribus praestatis vos. Et paulo ante
v. 16. Ecce ego mitto vos tanquam oves in medium luporum. Christus ergo
Ἀρχιποιμὴν ipse oves suas mittit. Quo animo? Ut perdantur à lupis
penitus? Neutiquam sanē. Neque enim Pastoralis κηδεμονία fere-
bat ut oves suas ex manibus suis rapi, & luporum arbitrio discer-
pendas exponi permetteret. Per luporum igitur rabiem eosdem
ad salutem ducere voluit. Atque ita fixum à Deo constitutumque
est, ut per multas afflictiones fideles ingrediantur Regnum Caelorum, Act.
XIV. 22. Sed & S. Paulus fideles hortatur 1. Thess. III. 3. τῷ μηδέ-
να σάλνεσθαι ἐν τοῖς θλίψεσι ταύταις, ne quisquam eorum commoveatur in
afflictionibus istis; adducto ejusmodi argumento: αὐτοὶ γὰρ οἶδαν, ὅτι ἐν
ταύταις κείμεθα. Ipsi enim nōstis, ad id nos esse constitutos. Denique S. Pe-
trus id ipsum disertē confirmat 1. Pet. III. 17. *Melius est bona facientes,
ἢ ἡλεῖ τὸ ἡέλημα τῷ Θεῷ si velit voluntas Dei, pati, quàm mala facientes.*
Pluracula eam in rem ex S. etiam Patribus Dissert. de Martyrio Ss. XXI.
XXII. XXIV. diximus.*

Epicurea-
rum opi-
nionum in
adversis pe-
riculum.

XXVI. Innumerabiles certē sunt homines, qui rebus se-
cundis & ex animi sententia fluentibus, vel in mediocribus etiam
difficultatibus, Epicuræis opinionibus imbuti non sunt; hanc utcun-
que tenentes persuasionem, res humanas Deo curæ cordique esse.
At iidem cum in ærumnas incidunt, vel dubitatione periculosa ten-
tantur,

tantur, vel persuasionem illam prorsus amittunt, cogitantq; ad eò, casu & sine ullo consilio Dei misceri omnia, oriri & occidere alia placidiùs, alia duriùs. Deniq; his telis præcipuè Diaboli, Spiritus mendaces, animos in ærumnis sauciant, ut excitatis Epicuræis furoribus Deum contumelia afficiant. Tantòque diligentius animi adversus tela hæc Diabolica ex Dei Verbo communiendi sunt, tenendùmque firmissimè; *Bonum omnipotentem ita curare universos tanquam singulos, sic singulos tanquam solos*, uti scitè S. Augustinus *Confess. lib. III. II.* loquitur. Ubi enim animo suo illud fortiter infixum constitutùmque habent fideles, nihil sibi nisi volente, moderante dispensante Deo accidere posse, mirificè patientia corroborabitur. Eandemque labefactari & infringi, expugnarique tandem necesse est, si in palmario hoc capite fides nutaverit & pènitus corruerit.

XXVII. Fidem autem Divinæ in adversis Providentiæ post diserta illa, quæ adduximus, verbi Divini testimonia, argumenta alia etiam nec levia, nec pauca illa, quæ Philosophi etiam saniores urserunt, suffulciunt & confirmant. Etenim quocunque oculos animùmque convertas, mortalia, immortalia, sublimia & terrena, animata & inanimata, clarè hæc omnia loquuntur & clamant, Numen aliquod supra nos esse, quòd hæc tam magna, stupenda & admirabilia creavit, eademque creata etiamnum dirigit & conservat. Id autem Deus est, cui nihil magis convenit, quàm ut curam tutelamque sui operis gerere & optimus velit, & maximus possit. Illa igitur ipsa provida mens, quæ Cælum hoc volvit & revolvit, Solem ducit & reducit, fruges promit & recondit, utique etiam casus & vicissitudines rerum parit & gubernat. Non grata duntaxat & commoda in nobis submittit, sed tristia etiam & incommoda. Πάντων ἑργῶν ἐν ἑργῶν omnium operum promus condus in Cælo est, ajebat olim Pindarus. Euripides etiam adversa omnia humano generi illata ξυμφορῆς θεηλάτῃς eventus Divinitus immissos nuncupavit. Homerus quoque auream catenam cœlitus demissam, cui omnia hæc inferiora alligata sint, quæq; à Jove supero pro lubitu moveantur, flectanturque, fabulatus est. Jamblichus *de vita Pythagoræ cap. 32.* Ἦν δὲ τῆτο μέγιστον εἰς γεναιότητος ἔργα, τὸ πεπεῖσθαι, ὡς εἰδέν δεῖ τῶν ἀνθρώπων συμπτωμάτων ἀπεσοδόκητον εἶναι πᾶσα τοῖς νῦν ἔχουσιν, ἀλλὰ πάντα ἀπεσοδοκῆν, ὡς μὴ τυγχάνουσι αὐτοὶ κύριοι ὄντες. Hoc maximum (Pythagoræ) erat ad generositatem fulcimentum, sibi persuasum habere, ex humanis casibus nihil apud mente præditos improvisum esse oportere, sed expectanda omnia, quorum ipsi au-

Providentiæ Dei in adversis assertionio ex ratione.

thores non sunt. Apud Ciceronem quoque de Nat. Deor. lib.2. Balbus ex Stoicorum sententia sic loquitur: Nec verò universo generi hominum solum, sed etiam singulis à Diis immortalibus consuli & provideri solet. Unde providentiam Divinam apud Gregorium Nazianzenum Orat. in Athanas. Epitaph. similem dixerunt εἰκόνι περὶ πᾶν γεγραμμένη, τῇ τὸς παρόντας πάντας ὁρώση, imagini eo artificio concinnata, ut in astantium unumquemque oculos defigere videatur; imò sic astantium unum quemque intueri videatur, ac si ipsum solum intueretur. Cùm ergo Deus rebus omnibus & singulis provideat, & consulat, mala juxta atque bona immittat & moderetur, sapientes è Gentilibus inde concluderunt, mala omnia sibi submissa patienter ferenda esse, nî velint θεομαχεῖν, Deum de sua arce deturbare, & sceptrum illi arbitriumque regnandi eripere.

Nihil tamen ea Philosophi & infideles juvantur.

XXVIII. Attamen ex hoc Divinæ providentiæ & voluntatis, crucem, calamitates injungentis, argumento arcessita consolatio non nisi Christianos fideles tangit. Dicunt Philosophi, patienter ferendum, quod Deo ita volente & providente mutari non potest: statuunt fatalem necessitatem; atque inde contra stimulum calcitrandum esse negant. At in calamitatibus Deo se non subjiciunt, ejus iram non agnoscunt, nec adversa patiuntur, ut Deo obtemperarent, sed quia jugum excutere non possunt. Misera igitur consolatio illa est, quæ docet patienter ferre, quod & mutari nequit, & à Deo volente quidem, at irato, puniente & vindicante infligitur. qualis in Diabolum & damnatos omnes maximè competit. Neque apud infidelem quenquam pondus habet consolatio, & ad patientiam incentivum, quod his verbis Justus Lipsius de Constant. lib.1.21. promit: *Necessitate, ita ille, nihil fortius est, quæ solo impetu mollia hac agmina obruit & avertit. Quid enim tibi vis dolor? non invenis locum in eo, quod fieri non solum potest, sed debet. Quid tu querela? quater hoc cœleste jugum potes, non potes excutere. Desine fata Deum flecti sperare querendo. Necessitatis non aliud effugium est, quam velle quod ipsa cogitat. Eximie Epictetus: Ανίκητος εἶναι δύνασαι, εἰάν μηδένα ἀγῶνα καταβαίνῃ, ὃν ἔκ ἐστὶν ἑπί σοι νικῆσαι. Inviictus esse poteris, si in nullum certamen te dimittes, quod in te non est vincere. At talis agon iste cum necessitate conjunctus est, quem quisquis suscipit, succumbit: & quod magis mirere, succubuit, priusquam suscepit. Certè necessitas inevitabilis mala ferendi hoc ipso angit, quòd, ut vetus Poeta ait, triste sit omne necessarium.*

XXIX.

XXIX. At fidelibus, qui in Christo cum Deo Patre recon-
 ciliati sunt, applicatum Divinae Providentiae argumentum, incredi-
 bilem consolationem, contra dirissima quaeque munimentum, in
 doloribus ipsis levamentum affert. Etenim *primò* Deus volens affli-
 ctiones immittere, & providens, fidelium Pater in Christo est, adeo-
 que eam tanquam Pater, non hostili, sed paterno planè affectu, infli-
 git: non ut puniat, perdat, sed ut castigando, calamitates, mortemq;
 acerbam imponendo, tum gloriae suae, tum saluti ipsorum fidelium
 consulat. *Quem diligit Deus, eum castigat: flagellat autem omnem filium,
 quem recipit. Si castigationem roleratis, tanquam filius se offert Deus. Quis fi-
 lius est, quem non castigat Pater? Si autem absque castigatione estis, spiritus estis,
 non filii,* Hebr. XII. 6. 7. 8. Arguit suos Deus, at non *הַרְבֵּה* in furore:
 corripit, at non *בְּחַמָּה* in ira, Psal. VI. 1. *Secundò* ita Deus mala fide-
 libus immittit, ut convertat eadem in bona, & saluti patientium il-
 la inservire jubeat. *Novimus enim, quòd iis, qui Deum diligunt, πάντα
 συνεργεί εἰς ἀγαθόν, omnia in bonum cooperantur,* Rom. VIII. 28. Et cùm
 judicamur, à Domino castigamur, ne cum mundo condemnemur, 1. Cor. XI. 32.
Tertiò ita Christus de fidelibus meruit, ut parati esse debeant in ejus
 gratiam quidlibet sustinere. *Quartò* persecutores non volente Deo
 ne pilum quidem detrahere fidelibus, nedum eorum corpora occi-
 dere, animam autem planè occidere non possunt, Matth. X. 28. Salus
 ergo animae in tuto collocata est: & quicquid tandem corpori fiat,
 id Divino paternoque decreto, sine ejusdem noxa aeterna, contin-
 git. *Quintò* idem ille, qui crucem imponit paterno arbitrio, ean-
 dem fert in fidelibus, iis succollat, & viribus sustinentium sese at-
 temperat. Et molem quidem ac magnitudinem malorum ac injuria-
 rum ita moderatur, ne excedat modum virium, quas suam gratiam con-
 fert. Nam *πειρασμός ἀνθρώπων* humana tentatio est, qua illos exer-
 cet. *Fidelis autem Deus, qui non permittit eos tentari supra vires, sed
 unâ cum tentatione etiam eventum largitur, & δύνασθαι ἐπεσυχῆν, ita ut
 eam sustinere possint,* 1. Cor. XI. 13. Et sicut *παθήματα & Χρῆσθαι* passio-
 nes Christi in iis abundant, ita per Christum in iisdem consolatio abundat, 2. Cor.
 I. 5. Poculum Deus propinat suis, ejusmodi tamen, ut ab illis bi-
 bendo exhauriri possit, adeoque accommodatum viribus illorum,
 Psal. LXXV. 9. Matth. XX. 22. Durationem quoque afflictionum ita
 definit, ut opportuno tempore exitum concedat. Nam *γὰρ* momen-
 tum est in furore ejus, vita in voluntate ejus. *Vespero pernoctabit fletus, & manè
 letitia erit,* Psal. XXX. 6. Et Christus Joh. XVI. 22. *Vos quidem nunc lu-*

Solis Chri-
 stianis fi-
 delibus
 prodest.

etum

etum habetis. *At rursum vos videbo, & letabitur cor vestrum, & letitiam vestram nemo à vobis tollet.* Denique cum paterno Dei arbitrio certamen injungatur fidelibus, etiam illud presentissimo solatio esse potest, quod hostium furores speratum successum neququam habituri, nec omnino Ecclesiam everfuri sint. Neque enim vel consilium Dei de conservatione Ecclesiae mutare, vel manum Dei omnipotentem sufflaminare possunt. Unde Apostolus se vinculis constricto, sermonem Dei unam vincitum esse negat. *Propterea, inquit, omnia tolero propter electos, ut & ipsi salutem consequantur in Christo Jesu, cum aeterna gloria, 2. Tim. II. 9. 10.* Hæ consolationes animum placant, efficiuntque, ut fideles ad paternam voluntatem manumque Dei animum revocantes, sancta cum acquiescentia & confidentia omnes curas suas in Deum devolvant, juxta saluberrimum illud consilium Davidis Psal. XXXVII. 5. *Volte super Jehovum vias tuas, & spera in eo, & ipse faciet;* (de quo Megalomartyris Wenceslai Baronis de Budova somnium suavissimum in Martyrologio Bohemico pag. 230. narratum vide) cum Sanctis Dei exclamantes: *יְקוּמוּ לִי אֱלֹהִים* *Etiam si occiderit me, in eum sperabo, Job. XIII. 15.* *Jehova dedit, & Jehova abstulit.* *נְאֻמַּתִּי יְהוָה מְבֹרָךְ* *Sit nomen Jehova benedictum, cap. I. 21.* *לֹא אֶפְתָּח פִּי כִּי אַתָּה עָשִׂיתָ* *Obmutui, non aperui os meum, quia tu fecisti, Psal. XXXIX. 10.*

Dicta de
eo eximia
S. Marty-
rum, Dio-
nyfii Pelo-
quin,

XXIX. Atque hoc Divinae Providentiæ scuto impenetrabili se adversus imminentes gravissimos cruciatus S. Martyres nunquam non muniverunt. Dignissima memoratu sunt constantissimi Martyris Dionysii Peloquin eam in rem verba, quæ *Martyrol. M. pag. 499.* expressa ita sonant: *Hostium equidem nostrorum in potestate nunc sumus, quibus animus crudelis nos excrucianti, innoxiumque sanguinem nostrum profundendi neququam deest. Sed Deus noster & omnipotens Pater injecto freno ita eos coerces, ut non aliud efficere valeant, quam quod sancto & immutabili ejus consilio inde ab aeterno fixum definitumque est. Promisit is, fore, ut sine voluntate ejus ne pilus quidem ex capite nostro cadat. Quod si igitur hostes nostri, quantalibet etiam potestate præditi videantur, non plus tamen valent pollentque, quam cœlitus illis datum est, quæ justa nobis metuendi causa est? Et si Deus pro nobis est, quis contra nos? En consolationem admirabilem, quæ valida satis est ad nos erigendos confirmandosque, adversus hostium nostrorum potentiam, cernentium, quod non omnia pro lubitu suo exequi possint, & quod cœlestis & misericors Pater noster non nisi suam voluntatem, & ultra eam nihil omnino fieri & evenire patietur. Doctrina hæc summopere necessaria est non nobis duntaxat captivis, qui Dei*
paternam

paternam circa nos voluntatem indies patienter operimur, sed in universis
 Christianis omnibus. Certè si in ea probè omnes exercitati essemus, non tanta pas-
 sim contra Dei voluntatem, & obedientiam Dei verbo & promissionibus ejus de-
 bitam pugna glisceret. Paulò post: Persuasissimus sum, neminem non indigere
 hac doctrina, quia naturâ Dei providentiæ dissidimus, ejusque sanctæ voluntati
 refragamur omnes. Idem argumentum Petrus Scriba Martyrol. M. lib. Petri Scri-
ba.
 IV. pag. 426. fusè urget. Inter alia ita ille: Ingens certè illud est in oculis no-
 stris miraculum Dei, quo indies magis magisque Divinarum promissionum red-
 dimur certiores, quòd paternam Dei, quam pro nobis gerit, curam cernimus, agno-
 scimusque adeò, clementi hac ejus protectione fretis nec Diabolum, nec omnes
 mundi potestates nos ullo damno afficere, imò ne capillum quidem capitis nobis
 evellere posse &c. Gemella sunt illa Hiero-Martyris Bernhardi Seguini Bernhardi
Seguini.
 ib. pag. 445. verba: Non tantùm ea, quæ ante oculos sunt, contemplari oportet,
 sed cor ipsum in Cælum elevandum ad illum, sine cujus providentiâ nihil li-
 beris & servis ejus contingere, imò ne quidem ab hostibus ejus, qui quotidie nomen
 ejus blasphemant, omnibusque, quas ille condidit, creaturis fieri potest. Patienter
 proin tolerandum, quicquid Deo placet submittere, quia voluntas ejus semper ju-
 sta & sancta est, & tum honori suo tum salutis nostræ consulit. Et cum rectius,
 quid nobis conducatur, ipse noverit, ejus nos arbitrio permittamus, curas nostras in
 ipsum devolvamus, &c. Congruunt hisce cedro digna illa S. Martyris Iohannis
Vernutii.
 Johannis Vernutii, quæ Martyrol. pag. 667. extant ad alium Christi
 gratiâ captivum, verba: Vulgò, ita ille, dici solet; Cui cum bono viro res est,
 is sollicitus esse non debet, inprimis si ab eo amari se persuasus fuerit. Nunc no-
 bis res est cum optimo, clementi & misericordi Deo, qui nostrî causâ unigenito
 filio suo non pepercit, sed in mortem crudelissimam eum tradidit, eternumque
 adeò fœdus nobiscum pepigit, quo nobis promisit, fore ut nos peccatores, licet om-
 nium miserrimos, nunquam deserat. Quidnî ergo toto pectore ipsi confidamus?
 Peccatane nostra fiduciæ obstabunt? Nequaquam. Ubi enim peccatum abun-
 dat, magis gratia abundat. Misericordia nostra à Deo nos avertet? Atqui quò illa
 major est, hòc Dei misericordia & auxilium presentius erit. Infirmitasne nostra
 nobis obstabit? Ne hoc quidem. Dei enim potentia in infirmitate nostra consum-
 matur, & quò magis robur nostrum deficit, hòc in ipso robustiores sumus. Gna-
 rus ergo, charissime mi amice, ejusmodi cum fideli patre tibi rem esse, qui pater-
 nè adeò tibi tuisque providet, salutis tuæ consule, & beatum afflictionis cœlitus tibi
 submissæ exitum patienter expecta. Denique luculenter idem argumen-
 tum tractavit fortissimus Hieromartyr Guy de Bres, cujus verba
 pulcherrima Martyrol. M. lib. IX. pag. 1429. 1430. videre est,

D

XXX.

Calvini ad
S. Martyres
inde petita
adhorta-
tio.

XXX. Fortiter quinetiam argumentum illud Calvinus E-
pistolâ *Vinctis Fidelibus Lutetia* inscriptâ, Epist. p. 276. hisce verbis pressit :
Nisi illa fides certissima paternæ ipsius providentiæ nos sustineret, jam nos istius
mundi voragines prorsus absorpsissent, ad quamvis auram agitati circumferre-
mur, neque mens neque animus nobis constaret, denique inextricabilis quidem
error vita hinc nostra habenda esset. Inprimis verò ubi Sathana & ipsius instru-
mentis habena laxantur ad miseram Ecclesiam persequendam, illud demum no-
bis succurrat oportet, cum Dominus nullam ex rebus à se creatis à sua provi-
dentia alienam esse velit, ab ipso non derelinqui, qui illum invocant : cumque
ne minimus quidem passerculus in terram cadat sine ipsius nutu ac providen-
tia, paternum illud ipsius studium erga filios non defuturum. Est sanè gravis
illa & prædura tentatio, tantis fluctibus mersari, quique certissimum naufragium
portendant, ut tantisper cunctetur Dominus, neque dum porrigat manum &c.
Quare etsi non ita præsentem opem adferat nostris malis, maneat illa tamen e-
jus veritas in nobis, quod capilli etiam capitis nostri numerati sint, &c.

Confola-
tio IV. à
dignitate
& necessi-
tate obe-
dientia er-
ga Deum
petita.

XXX. Quarto succedit & dignitas & necessitas obedientiæ
erga Deum. Etenim persecutionum & afflictionum tolerantia pars
haud postrema est officii Divinitus nobis injuncti. Ad hoc enim è
κλήθημεν vocati sumus, quia & Christus pro nobis passus est, exemplar nobis
relinquens, ut vestigiis ejus insistamus, 1. Pet. II. 21. Paulus quoque 1. Thess.
III. 3. ait : *Εἰς τὸ τοῦ κείμένου*, ad hoc (afflictionum tolerantiam) constitu-
ti sumus. Christus ipse hortatur Matth. XI. 29. *Ἄρατε τὸν ζυγὸν μου ἐφ'
ὐμᾶς*. Tollite jugum meum super vos. Et cap. XVI. 24. *Si quis ponere me venire
vult, semetipsum abneget, καὶ ἀρῶ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, & tollat crucem suam,
& me sequatur.* Quod autem Dei Patris & Christi Divino mandato
nobis injungitur, illud, quoties occasio fert, promptè nobis susci-
piendum, obedienterque exequendum est. Congruit enim id
cum quotidiana petitione, qua ita Deum invocamus : *Fiat voluntas
tua* (in universum, adeoque non secundis duntaxat, sed adversis e-
tiam rebus) *quemadmodum in Cælo*, (ubi sancti liberrimè promptissi-
mèque Dei imperata faciunt,) *sic etiam in terra*, Matth. VI. 10. Quid-
nè ergo etiam tum, cum Deus nos castigat, & persecutoribus flagel-
landos & *κατὰ σὰρκα* secundum carnem occidendos objicit, Divinæ vo-
luntati nos subjiciamus, sub paternæ ejus manu nos humiliemus, ob-
edientiam multis adeò nominibus Deo optimo devinctam alacres
præstemus, denique cum S. Polycarpo ab hostibus suis capto (teste
Epist. Smyrn. apud Euseb. *Histor. Eccles. lib. IV. 15.*) *Τὸ θέλημα τοῦ κυρίου γι-
νέσθω*, *Fiat voluntas Domini*, ingeminemus? Quòd si bonis temporalibus
&

& magis etiam spiritualibus innumeris nos Deus maētavit, benedicens nobis omni benedictione spirituali in celestibus in Christo, Ephes. I. 3. fas certè piūmque est, ut submissa ab eodem mala, quæ cum collatis bonis comparata exigua aut nulla prorsus sunt, ad testandam obedientiam libenter recipiamus, patienterque perferamus. טובה טובה לא נקבל מאלהים ואת הרע לא נקבל Bonum suscipiemus à Deo, & malum non suscipiemus? Job. II. 10. Atq; ita obsequio unice nobis gratandum esse, curis de cætero nostris omnibus Deo resignatis, S. Petrus his verbis monet: Ταπεινώθητε ὑπὸ τὴν κρείττω καὶ θεῶν ἵνα ὑμᾶς ὑψώσῃ ἐν καιρῷ. πᾶσαι τὴν μέμνησαν ὑμῶν ἑπίρριψαντες εἰς αὐτόν, ὅτι αὐτῷ μέλει περὶ ὑμῶν. Humiliamini sub potenti manu Dei (Deo prementi, manui ejus & ad evertendos superbos, & ad erigendos afflictos potenti obedite) ut vos opportuno tempore exaltet. Curas autem vestras omnes in ipsum devolvite, siquidem curam is vestri gerit, 1. Pet. V. 6. 7. Cūm igitur obedientia hæc & doloris moderatio Divinis etiam præceptis mandata sit, dolori & indignationi in persecutionibus repugnandum esse, fideles intelligunt.

XXXI. Consolationem isthanc etiam Philosophi urgent. Senecæ illa tanquam auro meliora verba Lipsius de Const. lib. I. 14. laudat: Ad hoc, ita Seneca, Sacramentum adaēti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est. In Regno nati sumus. Deo parere libertas est. Notum quinetiam illud Euripidis Tragici: κούδισον ἐμοὶ κλέος τῷ θεῷ δαλεῦειν. Servire Deo summus honor est, quem ego mihi desiderem. Et ex Philosophorum mente ita idem Lipsius: Cæca mortalitas! Sol, Luna, sidera, elementa, & omnia hæc Sæcla animantium parent non invita, & obaudiunt supræ illi legi: nobilissimum rerum homo, solus in conditorem suum calces jacit & resistit. Atqui si vela ventis dedisses, sequerere, non quò voluntas impelleret, sed quò illi. Et in hoc vitæ Oceano spiritum illum sequi recusas temperatorem universi? Et recusas tamen frustra, quia aut sequere aut trahere: Et cælestia illa decreta viam suam ordinemque servabunt, sive in volentem, sive in rebellum. Et paulò post: Si sapimus, sequamur ab alto attrahentem illam vim, & æquum censeamus, ut homini placeat, quicquid placuit Deo. Miles in castris audito viæ signo, vasa colligit; audito pugne, deponit; animo, oculis, auribus paratus ad omne imperium & intentus. Idem nobis sit, & in hac militia sequamur alacres & pleno gradu quocunque vocantem Imperatorem. Rectè quidem hæc omnia: nec contemnenda ratio, Deique verbo congruens suggeritur. Sed nihil hæc juvant veri Dei notitia destitutos, nihil veris Deoque placentibus virtutibus vacuos.

Frustra eadem à Philosophis urgetur.

De ea exi-
mia voces
S. Marty-
rum.

Petri Brul-
lii,

Petri Scri-
ba,

Francisci
Varlur.

XXXII. Potius igitur audire lubet ipsos S. Martyres, qui in agone etiam dirissimo se tanquam fideles athletas & milites Duci suo Christo obsequium paratissimum debere, ultro confessi sunt. Sic autem fortissimus ille Hieromartyr Petrus Brullius suos συσπελιώτας Martyrol. M. lib. III. pag. 306. adhortatur: *Eja fortes vos prestate athletas & milites Domini Jesu Christi, nec deteriores estote militibus illis, qui temporali Domino stipendii temporalis gratiam inserviunt, qui semel auctorati & signis suis jurati, qualibet in gratiam & honorem Ducis sui pericula adeunt. Nulla tam profunda fossa est, nullus adeo altus murus, nulla tam horribilia tormenta, nulla acies hostilis adeo composita & ordinata, quam non despiciant illi, quam non adoriantur, hunc solum in finem, ut juramento, quod duci suo presterunt, satis faciant. Vos Diabolo & mundo renuntiastis, contra autem inter milites Christi nomen dedistis, ejusque albo, hoc est, libro vite inserti estis. Nihil ergo prohibeat vos, quin fideles Regis vestri servos vos geratis. Ipse cum electis Angelis suis pro vobis in excubiis stat, multumque agone vestro delectatur.* Petrus Scriba non minus ignobilis athleta Christi Martyrol. M. lib. IV. pag. 427. eadem de re sic loquitur: *Qui apud temporalem Ducem aut Principem stipendia merentur, non tantum libenter patrem, matrem, uxorem, liberos, bona deserunt, ut fidelia illi officia prestare valeant: sed quandoque etiam jussa ejus facturi vitam ipsam periculo exponunt, neque in bona semper causa. Et nos, ejusmodi nacti Ducem, Jesum Christum Filium Dei, qui pro nobis peccatoribus miseris mortem crucis maledictam appetiit, omnia in gratiam ejus deserere, & vitam ipsam in causa adeo sancta, & tanta ejus gloriose restituenda spe, profunder reformidabimus? Consona hisce sunt aurea illa Francisci Varlur, quibus & se, & socios candidatosque Martyrii animavit. Charissimi Fratres & Sorores, ita illos Martyrol. M. lib. VIII. pag. 1198. alloquitur; *bono simus in Domino animo, & ad agonem nobis imminentem nos preparemus, quia dux noster Jesus Christus nos provocat, cui certe fide summa obediendum est. Videmus utique, quam promte Seculi hujus milites in Ducis sui, cui juratam fidem obstrinxerunt, gratiam & corpus & animam extremo discrimini objiciant, ignari plerunque, cujusmodi causa sit, qua bello disceptatur. Et stipendium illis menstruum forte quatuor coronati sunt. Et nos hastam abjiciamus, turpique fuga signa nostra deseramus! Nunquam id fiat! Novimus enim, bonum nos habere Ducem ac Dominum, & causam ejus bonam probatamque esse. Stipendium vero promissum nec aurum nec argentum est, sed perennaturum in eternum Regnum. Neque etiam incerto sine pugnamus, sed victoria nostra certi sumus, perinde ac si in manibus illam haberemus, quam aeterna in Coelis hereditas consequetur.**

XXXIII.

XXXIII. Quintò scutum S. Martyrum & aheneus veluti murus, Sathanæ & mundi tela, quibus constantiam eorum expugnare fatagit, discutiens est *bona conscientia*, quòd videlicet persecutiones illi tolerant propter *συνείδησιν τῷ Θεῷ conscientiam Dei*, hoc est, quòd causam Dei agunt, & rectè credendo, pièque vivendo Deo bonâ & ἀπεροσκόπω conscientia servire cupiunt. Nempe, teste S. Petro 1. Epist. II. 19. τὸ χάρις, (hoc est, χαρὲν, δῶρον, laudabile, gratum in oculis Dei & hominum; vel χάρις, nempe τῷ Θεῷ gratia, donum Dei) εἶ ἀπὸ συνείδησιν Θεῷ ὑποφέρει τις λύπην, πᾶσι δὲ ἀδίκως. Hoc laudabile vel gratia est, si propter conscientiam Dei, (quia videlicet est conscientia & de Deo, virtutibus, justitia, judicio: & à Deo implantata cordibus hominum: & communis non tantùm cum aliis hominibus, sed etiam cum Deo,) tristia aliquis perferat, patiatúrque injustè. Certum est, mundum & Sathanam adversus fideles impotenter ad eò insurgere, non propter impietatem & scelera, quæ illi commiserint, utpote quibus unicè illi delectantur: sed propter benefacta illorum, propter Christum, ejusque intrepidam, quam edunt, confessionem, adeòq; propter ὄνομα nomen Christi 1. Pet. IV. 14. coll. cum Matth. V. 11. Rom. VIII. 36. propter δικαιοσύνην justitiam, Matth. V. 10. quia Χριστιανοὶ Christiani, 1. Pet. IV. 16. unde etiam injuriæ iis illatæ, in Christum recidunt; denique quia θέλοντες δουλεύειν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ volentes piè vivere in Christo Jesu, 2. Tim. III. 12. Hoc certè solidæ consolationis plenum est. Etenim si Nil conscire sibi, nullâ pallefcere culpâ, murus aheneus est: magnâque, Cicerone Orat. pro Milon. docente, vis est conscientia, magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil admiserint, & pœnam ante oculos semper versari putent, qui peccaverint; multò magis hæc conscientia Dei fortes, securos & infractos reddit fideles, haud ignaros, non tam se, quàm Christum peti, quando ita fidem & vitam instituunt, ut se ipsos probatos, nulliusque sceleris, propter quod homines ipsos meritò odisse & persequi queant, conscios sistant.

XXXIV. Nemo quidem Mortalium, sanctissimus licèt, profiteri ausit, se esse prorsus ἀναμάρτητον, & absolutè nullius peccati, cujus extra Christum intuitu Deus ipsum per homines in mundo, & per Diabolum in inferno atrocissimè punire non possit, sibi conscium. Ipse David Psal. CXLIII. 2. Deum precari necessum habuit, ne cum servo suo veniat in judicium, quia in conspectu ejus nemo vivens se justificare possit. Et S. Paulus, qui 1. Cor. IV. 4. dicere potuit: Οὐδὲν ἐμαυτῷ συνείδησα, nullius rei mihi conscius sum; non oblitus tamen erat, se & olim

Consolatio
V. à bona
conscien-
tia eorum
qui perse-
cutiones
sustinent,
depremitur.

Ejusdem
uberior il-
lustratio.

fuisse blasphemum, 1. Tim. I. 13. & etiam tum ἀμαρτωλὸν peccatorem, Rom. VII. 18. 1. Tim. I. 15. Agnoscunt quinetiam pientissimi quique, multa in se latere peccata, sibi etiam incognita, & æterna damnatione, si Deus judicare animum induceret, dignissima. Quæ causa est, quòd S. Martyres, ἀμεμπτοὶ licet apud homines, à quibus propter notorium scelus in crimen arcessi non possunt; apud Deum tamen justitiam labis omnis expertem, adeoque conscientiam absolutè bonam non jaçant, sed se peccatores cæterà miseros, & indignissima quæque meritos humiliter profitentur. Satis ostenditur, ita S. Augustinus in Psal. LXXIX. propter peccata hominibus licet fidelibus fieri tribulationes, quamvis hinc florescat Martyrum gloria, merito patientiæ, & piè sustentato flagello Domini moderamine discipline. Hoc Macchabei inter sevisissima tormenta, hoc tres viri inter noxias flammæ, hoc Propheta sancti in captivitate testarentur. Nihilominus bonæ conscientia scuto tentationum tela excutiunt, quia peccatores licet apud Deum, apud homines tamen non innocentes tantum sunt, sed etiam puniuntur propter Christum ejusque justitiam, propter causam, quæ non ipsorum, sed Dei est, adeoque, ut Calvinus verbis Epist. & Resp. pag. 199. utar, sistuntur à Domino, ut juris ipsius assertores, idque non quòd idonei sint, aut ipse illorum procuratore opus habeat, sed quatenus insigni illo honore eos dignari ipsi visum est, & illorum laborem apud Ecclesiam fructu carere non sinat. Unde cum Davide causam contra persecutorem iniquissimum Saulem sustinente, & ab eodem indignis modis presso, conscientia sua bonitate freti, sic Deum humili prece compellant: *Jehova Deus meus, אֲנִי וְכִי שִׁי אֲנִי תָנִי, וְכִי שִׁי אֲנִי תָנִי* Si feci hoc: si iniquitas est in manibus meis: si retribui pacificè degenti mecum malum, si non erui hostem meum sine causa me persequentem: *Persequatur inimicus meus animam meam, atque comprehendat & conculcet in terra, & gloriam meam in pulverem collocet.* Psalm. VII. 4. 5. 6.

De ea cita-
ta voces,
S. Marty-
rum.

Attalz.

Annæ Bur-
gii,

XXXV. Atque hoc etiam bonæ conscientia clypeo nunquam non sancti Martyres adversus mortis & hostium sibi insultantium impetus sese muniverunt. Quod verbis illorum nunc pandere lubet. De Attalo ita Eusebius Hist. Eccles. lib. V. 1. Ο' δὲ Ἀττάλιος καὶ αὐτὸς μεγάλως ἐξατηθεὶς ὑπὸ τῷ ὄχλῳ, καὶ γὰρ ἦν ὀνομαστὸς, εἰσήλθεν ἀγωνιστὴς, ἀπὸ τὸ εὐσυνείδητον. Attalus vehementer à populo postulatus ad supplicium, utpote vir valde celebris, paratus ad certamen accessit, fretus conscientia rectè factorum. Annæ Burgii Megalomartyr paucis ita hoc scuto, Martyrol. lib. VII. pag. 983. se defendit: *Cui laqueos & ignes*

ignes timeam, innocentia mihi mea conscius? Et paulò pòst: Quicquid ergo
volente Deo mihi contingat, Christianus nihilominus sum. Repeto, altàque voce
ingemino apud vos: Christianus sum. In gratiam Domini mei lubens mortem
opperam. Quin moras abrumpis, carnifex, & me apprehensum ad supplicium ab-
ripis! Constantissimus quoque ille Christi pugil & Hieromartyr
Guy de Bres Martyrol. M. lib. IX. pag. 1433. sic in rem eam loquitur: Guy de
Bres.
Beatum me prædico, quòd crucem cum Christo communem habeo, inprimis quia
conscientiam habeo testem, quòd non scelus aliquod notorium, vel damnum cui-
quam illatum eam mihi crucem attraxerit. Pro viribus meis omnium hominum
saluti consului. Magnis juxtà atque parvis reconciliationem cum Deo prædicavi,
& obtuli. Nunc non aliam ob causam patior, quàm quia Christum crucifixum,
unicum Salvatorem hominum præconiavi docuìque, quòd illi ipsi, qui me tanquam
malesicum & latronem in vincula hæc compegerunt, diffiteri non ausint. Meri-
tò igitur gaudeo, quòd propter nomen Christi patiendum mihi aliquid injunga-
tur, & de eo spiritus meus certissimus est, quòd Spiritus gloriæ Christi, ut S. Petri
(1. Epist. IV. 14.) verbis utar, super me quiescat. Inprimis Nicolai
Scheterde-
ni.
sunt illa Nicolai Scheterdeni Hagiomartyris Angli ad Fratres Chri-
stianos, quæ Foxus Rerum in Ecclesia gestarum Comment. pag. 506. refert,
verba. Quoniam igitur, Charissimi, (ita ille) Scripturæ passim docente, sic admo-
nemur, per varias tribulationes ingrediendum esse in Regnum Dei: superest, ut
suo id quisque animo consideret, quamobrem has afflictionum pœnas luat, ob
malefactane sua aliqua, an ob pietatis cultum: num ob causam aliquam in-
jurie abs se orta, ac adversariis illata, an veritatis odio in hanc agantur perse-
cutionem Adversarii: ideòque quòd Deus sua potiùs sacrificia vera, atque ex
verbo ipsius instituta, quàm illorum fucata & adulterina respiciat, quæ ipsi sibi,
nullo præscripto Verbi Divini mandato effinxerunt, magnàque sanctimonie simu-
latione exornant, ac titulis commendant. Quòd si ejusmodi causa sit, ò ter qua-
tèrque foelices illos, quibus tales tentationes infliguntur! Et paulò pòst: Illud
memorià ac cogitatione repetamus, quòd fide uberiore commendatiorem hostiam
Abel, quàm Cain Deo obtulerit: eòque carnalis frater vim fratri suo molitur
est ac necem. Non secus & Cainæ soboles hæc nobis hodie tam impotenter suc-
censet, conciditque vultus ejus: nec desitura, ut videtur, priusquam sanguinem
etiam nostrum hauserit. Vident enim, pluris apud Deum haberi humilitem no-
stram obedientiam cum verbo ejus conjunctam, qua præscriptis illius, non volun-
tati nostræ acquiescimus, quàm gloriosos ipsorum fucatos larvate religionis,
qua simulatam suam castitatem, superba jejunia, inflatum doctrinæ supercilium,
humilitatis omnino expers & simplicitatis, inanissimos & infructuosos labores,
prolixas preces, cœterasq; hoc genus solemnes nugas, quas orbi venditant, nobilitant-
que.

que. Quò magis par est, nos equo & quieto esse animo. Neque enim quisquam ignorat, quòd si desertà hac pietatis cultusque ratione, quam docuerunt nos sacra Dei licera, imò si sacris ipsis, totaque Dei lege repudiata, ad ipsarum confugeremus traditiones, easque pro vero Dei cultu haberemus, nihil esset periculi: sed summa quidlibet agendi, cumque omni luxu & licentià vivendi impunitas proponeretur, more videlicet atque exemplo eorum: quorum vita quàm impurata sit, omnique sordeat vitiorum genere, haud difficile est videre: veluti idolatrià, veneficiis, odio, contentione, blasphemia, mendaciis, calumnia, fornicatione, turpiloquio, ebrietate, crapulà, ac nullo denique non abominationum genere. Cumque hujusmodi sit mortalium ferè ubique vita, tamen hæc flagitia quàm impunè sub libertate sanctæ eorum Ecclesiæ grassantur, regnant? Atque utinam non etiam propugnarentur: oppressa interim sincera legis Divina disciplina, eorumque condemnatis studiis, qui vitam ac mores quàm maximè ad Scripturæ Sacre rectitudinem laborant attemperare. Hæcque, pro magnis sunt argumentis, cur alacri atque excelsò animo istorum vim omnem atque violentiam excipiamus.

Confolatio VI. à persecutionum & Martyrii dignitate retita.

XXXVI. Sextò persecutionis & Martyrii dignitas singularis & prorsus eximia patientiam fidelium mirificè acuit intenditque. Quæ quidem potissimùm inde elucet, quòd non tantùm S. Martyres Dei Christique causam, uti ostendimus, agunt, sed etiam Dei & Christi ipsius in subeundo Martyrio vicem sustinent. Cujus enim causa agitur, illum potissimùm peti, oppugnari, morti destinari haud certè ambiguum est. Hinc adeò qui propter Christum occiduntur, (Martyrii) Christi poculum bibere, & baptismo, quo ipse baptizatur, baptizari Matth. XX. 23, dicuntur. Christus igitur in iis occiditur. Mors, vincula, verbera eorum fiunt passiones Christi, tum propter arctissimam inter caput & membra sympathiam, tum propter causam & nomen Christi, propter quod macerantur, Psal. XLIV. 23. Rom. VIII. 36. Hinc Propheta ad fideles: הַנוֹעַ בְּכַם נֹגַע בְּבֵית יְיָ *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi sui* (Jehovæ Exercituum) Zachar. II. 8. Pupilla nempe oculi est τὸ κρυότατον τῶν μελῶν *membrorum præstantissimum*, uti scitè vocat S. Chrysostomus *Epist. 2. ad Olympiad.* Non igitur tam fideles violentià persecutorum, quam ipse Jehova Exercituum, & quod is charissimum præstantissimùmque habet, impetitur, læditur. Et quem Paulus, Saulus adhuc, persequebatur, non tam fideles Christi confessores, quàm Christus ipse fuit. Sic enim illum humi prostratum alloquitur, & cœlesti veluti fulmine ferit: *Εγώ εἰμι Ἰησοῦς, ὃν σὺ διώκεις. Ego sum Jesus, quem tu persequeris, Act. IX. 5.* Unde etiam Christus in magna urbe, quæ spiritua-

liter

liter Sodoma & Ægyptus vocatur, crucifixus (in Martyribus videlicet) dicitur Apoc. XI. 8. Ad ipsam quidem, cum sedeat is ad dexteram Dei Patris, hostilia tela & spicula pertingere non possunt. Sic ergo in imaginem, in membra, in corpus Christi, in fideles, Christi causam in hoc mundo suscipientes, tantò intensius diriguntur. Quanta autem hæc dignatio, pro Deo, pro Christo in irruptione constitui, plagas, vulnera, mortem excipere? Imò ad Christi ipsius similitudinem quàm proximè accedere? cum Christo capite conformari? Et quanta hæc sublimitas, ita olim Cyprianus de laude Martyrii exclamabat, ante ora Domini, aspectum Christi, Angelorum, humanæq; potestatis tormenta exquisitissima contemnere? In his omnibus plùs quàm victores sunt per eum, qui dilexit eos. Accedit quòd Martyrium donum est singulare, non electis omnibus commune, sed eximium Dei munere delibatis quibusdam Heroibus, quibus datum est in Christi negotio non tantum in ipsum credere, ἀλλὰ καὶ περὶ τὸ ὑπὲρ αὐτῶν πάσῃ, sed etiam pro ipso pati, Phil. I. 29. Quòd si etiam יהוה המות הסירו יקר בעיני יקר pretiosa est in oculis Domini mors sanctorum suorum omnium, Psalm. CXVI. 15. quanto apud ipsum in pretio mortem exquisitam pro nomine suo appetitam ultro & hilariter putamus? Emit enim, ita S. Augustinus ad locum illum, eam sanguine suo, quem prior fudit pro salute servorum, ne pro Domini nomine servi fundere dubitarent, quod tamen eorum, non Domini saluti proficeret. Unde impensè meritò gavisi, sibi que gratulati S. Apostoli dicuntur, ὅτι ὑπὲρ τῆς ὀνόματός αὐτῶν κατηξιώθησαν ἀλμασθῆναι, quòd digni habiti essent, qui pro nomine ejus ignominiam afficerentur, Actor. V. 41.

XXXVII. Atque hæc S. Martyrii inæstimabilis dignitas S. Martyres ad sustinendum fortiter agonem lætos, alacres, promptosque reddidit, adeò ut Deo, dignationem sibi Martyrii habenti, quin & ipsis persecutoribus, de honore tanto magnas gratias referrent. Christianus Martyr, ita Tertullianus Apolog. I. loquitur, damnatus gratias egit. Cyprianus, uti Acta Passionis ejus testantur, perceptam damnationis sententiã exclamabat: Gratias ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis hujus corporis absolvere dignatur. De quo uberius Σ. Θ. infra.

XXXVIII. Johannes Trigaletus, inclytus ille Christi Athleta, his verbis, quæ Martyrol. M. lib. VI. pag. 681. extant, Martyrii dignitatem & præstantiam urget. Mortem ejusmodi, inquit ille, quàm maximè pretiosam ducamus, unicè que in deliciis habeamus, gnari, magno illam in pretio apud Deum ipsum haberi, uti Psal. CXVI. 15. extat. Ne parcamus sanguini

Martyriam
eam in-
tuentium
constantia
& gratia-
rum actio.

De eadem
Divina vo-
ces Marty-
rum.
Iohannis
Trigaleti.

E nostro

Guy de
Bres.

nostro olido & pereunti, quia tanti estimatur à Domino; imò quia illum memoriâ complexus vindicare novissimo die, & à persecutorum manibus requirere statuit. Quidnì verò sanguis noster magni pendatur à Domino, utpote qui etiam lachrymas nostras adeò diligenter colligi curat, ut ne minimam quidem earum guttulam perire sinat. Et si lachrymæ abundantissimè ex oculis manaverint, ipse eas abstersurum se promisit, &c. Sed & Guy de Bres passionum dignitatem meritò sic Martyrol. lib. IX. pag. 1432. extollit: Magnus utique honor est, qui ne ipsos quidem in S. Angelos cadit, pati propter nomen Christi. Quis ego sum, quem tantopere Deus ipse dignatur? Obstupefco mecum seridè illud expendens. Accedit, quòd in agone meo validè is me consolatur. Christus Dominus meus proximè in carcere meo mihi adest. Video ipsum in vinculis meis: video ipsum internis oculis in obscuro isto carcere, sicut in verbo suo mihi promisit, quòd ad finem usque mihi adesse velit. Quinetiam idem affirmat, capto etiam minimo servorum suorum se ipsum capi. Dicit quippe Matth. XXV. 36. In captivitate eram, & ad me invisistis. Sauli quoque Act. IX. 5. dicit: Saul, Saul, cur me persequeris? Cùm nonnisi fideles ejus persequi visus fuerit, Christus tamen ita interpretatur, quòd ipsemet persecutione illa impetitus fuerit. Sed & apud Prophetam Zachariam cap. II. 8. legimus: Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit. Quid verò pupillâ oculi exquisitè magis custoditur? Omnis igitur passio, omnis afflictio, crux omnis, quâ nos exercemur ab hominibus, ejusmodi est, ut in se redundare, ut iis pupillam oculi sui atrectari Christus testificetur. O Dominum eximium, qui servi sui fidelem adeò rationem habet! Ubi ejusmodi Dominos reperire est, qui tanto servos suos in pretio habeant?

Consolatio VII. ab utilitate persecutionum & Martyrii accessita.

XXXIX. Septimò utilitas persecutionum & Martyrii incomparabilis ad illas æquo patientèque animo tolerandas impellere debet. Respicit autem illa Deum, Ecclesiam, & fideles seu Martyres ipsos. Et Dei quidem respectu summa hæc Martyrii utilitas est, quòd per illud nomen ejus glorificatur. Nihil autem Dei gloriâ prius nobis vel antiquius esse debet: tantòque illa studio consecranda est, ut propter illam etiam anathema fieri, adeòque non temporali duntaxat, sed, si Deo ita videretur, æternæ etiam mortis se exponere, fideles detrectare non debeant. Deo certè creatori & redemptori nostro non minùs mors quàm vita nostra consecrari debet. Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi ipsi moritur. Sive enim vivimus, Deo vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivimus, sive morimur, Domini sumus, Rom. XIV. 7. 8. Et vita igitur & morte nostra honori & gloriæ Dei nostri servimus atque litamus. Quæ quidem Dei gloria ex passionibus & martyrio fidelium quàm clarissimè elucescit.

lucescit. Unde Petri martyrium Christus exposuit, *σημαίνων πῶς θανάτῳ δουλεύσει τὸν Θεόν, significans, qua morte Deum glorificaturus sit, Joh. XXI. 19. Quem locum Martyr Christi Matthæus Dymonetus Martyrol. M. lib. IV. pag. 311. urget, varièque applicat. Sed & cùm in nomine Christi, vel propter nomen Christi opprobriis afficimur, quoad persecutores quidem nomen Dei blasphemari, at quoad fideles idem δουλεύσει Θεῷ glorificari S. Petrus, I. Epist. IV. 14. testatur. Quo pacto autem passionibus fidelium gloria veracitatis, præsentia in Ecclesia, potentia, misericordia & justitia Dei illustretur, Dissertatione superiori Sect. XXV. uberius expositum est.*

XL. Hanc respectu Dei ipsius utilitatem olim agnovit S. Ignatius. Is enim, Irenæo apud Eusebium *Hist. Eccles. III. 36.* teste, ob Christi fidem ad bestias damnatus, his verbis sententiam judicis excepit. *Σίτος ἐμὲ εἶθε Θεῷ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλθήσομαι, ἵνα καθάρως εἶμι εὐγεθῶ. Frumentum ego sum Dei, & ferarum dentibus molor atque comminor, ut panis mundus efficiar. Cibi igitur instar sunt S. Martyres, quo puro defœcatôque Deus vesci amat. Passimque S. Martyres summo sibi honori dant, quòd holocaustatum instar Deo offerantur in odorem bonæ fragrantia. Precibus quoque & gratiarum actione Deum in passionibus glorificari sic fortissimus ille Heros Christi Joh. Ludovicus Paschalis Martyrol. Lib. VIII. pag. 1080. astruit:*

utilitas
ejus respectu
Dei
agnita à
Martyri-
bus.
S. Ignatio.

Passiones medium sunt, quo Deus utitur, ut eò magis à vobis glorificetur. Hoc autem duobus modis contingit. Deus enim precibus & gratiarum actione honoratur. Propter simplicitatem & duritiem nostram Deus nobis crucem imponit, ut invocare ipsum, & exaudienti gratias agere discamus. Etenim si in vos ipsos descenderitis, fateamini oportet, ignorasse vos, quantus thesaurus sit Verbum Dei, donec eo privati estis. Atque iccirco etiam tam ardentem ipsum, sicut conveniebat, invocare, eique dignas gratias referre non potuistis.

XLI. Ecclesiæ respectu hanc passiones utilitatem habent, quòd ei & propagandæ & ædificandæ mirificè inserviunt. Et propagandæ quidem, quia, juxta celebre illud Tertulliani, sanguis Christianorum Ecclesiæ semen est, quo imprægnata sese multiplicat, lætæque incrementa capit. Christus nempe Ecclesiam Sponsam suam reddit *ἡ ἑσθὴ ὡς φοίνικα palma similem, Cant. VII. 7.* quia sub ipso persecutionum & afflictionum pondere in sublime nititur. Ita cum dispersis discipulis Christi ob afflictionem, quæ S. Stephano contigit, erat manus Dei, magno numero credente & ad Dominum se convertente, *Act. XI. 19. 20. 21.* Herode etiam adversus fideles sæviente ἡ ὑξάνθη ὁ

Ludovicus
Paschalis.

Ejusdem
utilitas re-
spectu Ec-
clesiæ, cu-
jus incre-
mentis
magnope-
re inservit.

λόγος ἔ θεῶν καὶ ἐπληθύνετο crevit sermo Dei & multiplicatus est, ibid. cap.
 XII. 1. 2. 3. 24. S. Paulus clarè etiam id ipsum insinuat Phil. I. 12. 13.
 Scire vos volo, Fratres, quòd, quæ ad me attinent, μάλλον εἰς θεογονίην ἔ
 Ευαγγελίᾳ ἐλήλυθε, magis ad profectum Evangelii venerint. Aded ut vincula
 mea manifesta in Christo fiant in toto pratorio & reliquis omnibus, & plerique
 fratres in Domino, confidentes vinculis meis, abundantius audeant sine timore
 sermonem loqui. Et 2. Timoth. II. 9. In quo ærumnas fero usque ad vincula.
 αἰδ' ὁ λόγος ἔ θεῶν ἔ δέδεμαι, sed sermo Dei non est vincus. q. d. nullius ar-
 tibus vel potentiâ Verbum Christi vinciri posse. Quò magis oppu-
 gnatur, eò magis celebratur. Nempe qui pro Evangelio laborant
 & patiuntur, juris Domini assertores constituuntur, quorum forti
 aded assertione gliscens causa Christi confessores ejus plures forti-
 tur & allicit. Estque Ecclesia, Calvino Epistol. pag. 198. scitè ita com-
 parante, novalis instar, per quod ultro citroque protractis sulcis to-
 sum tandem in glebas comminuitur. Unde Psal. CXXIX. 3. que-
 ritur: *Supra dorsum meum arârunt arantes, prolongaverunt sulcum suum.*
 Non semel etiam, cum intelligerent hunc Martyrii usum hostes,
 persecutoribus suaserunt, omitterent infligere Martyrium. Thuani
 & Cardinalis Richelieu sententiam supra exposuimus. Quibus ad-
 di potest dictum Jodoci Rosenbergii, Episcopi Wratislaviensis, Fra-
 trum Bohemorum persecutionem dissuadentis hanc ab rationem,
 quia Martyrium sit semicruda assatura, ex qua facile vermes enascantur; mar-
 tyriis fideles multiplicari innuens, Martyrolog. Bohem. cap. XIX. 5. Tum
 & ædificandæ Ecclesiæ Martyrium inservit plurimum, quatenus ci-
 ves Ecclesiæ jam conversi vehementer eo confirmantur. Unde S.
 Paulus ait, se vincum esse pro Ephesiis, Ephes. III. 1. & pati pro Co-
 lossensibus, & explere reliquias afflictionum Christi, Col. I. 24. de-
 nique omnia tolerare ἕνεκεν τῶν ἐκλεκτῶν, propter electos, quò & ipsi sa-
 lutem, quæ est in Christo Jesu, cum æterna gloria adipiscantur, 2. Tim. II. 10.
 Sicut ergo, propagationis respectu, Martyrum cineres semen sunt
 Ecclesiæ: ita etiam ædificationis fidelium respectu sanguis eorum
 roris instar est, quo perfusi crescunt, & ad sanctum vitæ exitum se
 præparant.

Affertur
 illa verbis
 S. Marty-
 rum.
 Petri Scri-
 bæ.

XLII. Non parùm argumento isthoc ipsimet S. Martyres ad
 bellum Domini strenuè militandum sese commotos esse facti sunt.
 Sic enim Petrus Scriba, nunquam satis laudatus Agonista Christi, ex
 vinculis ad Amicum Martyrol. M. lib. IV. pag. 431. scribit: *Speramus pror-
 sis & confidimus, confortaturum nos Dominum in solatium Ecclesiæ, probrum
 Sathane,*

Sathana, Antichristique detrimentum, cuius Regnum plus morte quam vita nostra damni sentiet. Largietur enim misericors Dominus, ut sanguis noster loquatur, sanguinis instar Habelis, utque mors nostra, mortis instar Samsonis, magis quam vita hostes nostros profliget. Id quod oculis etiam nostris iamjam cernimus. Nam multi etiam ceteroquin ignari rerum Divinarum Papista ad nos in captivitatem nostram veniunt, nosque consolantur, quia injuriam nobis fieri profus sentiant. Præterea fratrum nonnemo nobis significavit, multos in urbe hac miseros cæcosque (Papistas) morte nostra & supplicio, quod nobis preparant, majorem in modum discrucari. Quod certum argumentum est, mortem & sanguinem nostrum semen ejusmodi futurum, ex quo non contemnendi fructus emergant, ipsūque Antichristi Regnum non parū concutiatur. Tantōque major nobis ansa inde est gaudendi, Deoque gratias agendi, quod nos ex perduto hoc mundo ad se rapit, &c. Ejusdem Scribæ *ουσεχλωτης* Bernhardus Seguinus ad Martyrii sui socios *ibid.* pag. 444. ita scribit: Antichristus ubique terrarum rogos incendit ad ustulandos filios Dei, multūque sanguinem effudit innoxium. Quantum verò filius ille perditionis ea re profecit? Victoriāne contra membra Christi retulit? Prohiberēne potuit, ne ubique terrarum Evangelium prædicaretur? Minimè verò. Imò contra mors fidelium Antichristo mors & destructio Regni ejus presentissima fuit. Sanguis innocens ab eo profusus semen Ecclesie evasit, & ad Regni Christi amplificationem profecit. Horrendi illi, quos excitavit, ignes hodie lituorum instar in toto mundo sunt, quibus filii Dei ad bella Jehova fortiter intrepidēque depugnanda excitati inflammantique sunt. Permisit ipsi Deus, ut pios passim comprehenderet, & in carceres compingeret: & hodiēque id ipsum permittit. Sed hunc videlicet in finem, ut in media arce sua oppugnetur & confundatur, dum signa Jesu Christi in ipsis etiam carceribus attolluntur & exercentur, quod certa victoria argumentum est. Quamobrem, Fratres, quia Dei gratiā adoptati sumus in numerum filiorum ejus, ipsique Sacramento auctorati, ut causam ejus strenuè propugnemus, quia etiam verbi Divini tormentis satis jam hostium mœnia quassata sunt, irruptioque in arcem ejus jam facta est, forti animo ad finem usque vite nostre pugnare ne cefsemus. Johannes Morellius, ex juvene studioso factus Martyr, sic hostibus suis *Martyrol. lib. VII. pag. 927.* opponit: *Videris, Domini, nihil hactenus vos profecisse, quamvis veritatis extinguendæ gratiā plures Christianos interfici curaveritis. Uno acciso & resecto mille renascuntur, quia sanguis Martyrum, Tertulliano indice, Ecclesie semen est.* Johannes Trigalerus quoque *ibid.* pag. 680. agnoscit, præcipuum Martyrii sui fructum esse, quod illud ad Dei O. M. & Domini Jesu Christi honorem & glorificationem, nec non ad Ecclesie ædificationem, solatium & lætitiā Fratrum,

Bernhardi
Seguini.

Johannis
Morellii.

Johannis
Trigaleti.

Spektato-
rum Mar-
tyrii Fani-
ni Faventi-
ni.

Vtilitas
persecutio-
num respe-
ctu fide-
lium pa-
tientium
multiplex.

probrum denique, detrimentum & extremam perniciem Sathanæ, Antichristi, satellitum ejus, omniumque adeo veritatis hostium unicè faciat. Facit huc etiam Spectatorum Martyrii Fanini Faventini oratio. Adhuc ardente ejus corpore, nonnulli prælagiebant, ipsum vaporem, qui ex corpore ejus exhalabat, quasi gratissimum mortis ejus odorem, in capita multorum hominum penetraturum, majorémque vim ad homines commo- nendos & consolandos habiturum, quàm verba illius habuissent. *ibid. lib. IV. pag. 381.*

XLIII. Denique fidelium ipsorum Martyria subeuntium re- spectu luculenti se Martyrii usus fructusque proferunt. *Primò* quidem id maximi momenti, quòd patientes pro Christo Deo occasionem suppeditant, gratiam suam paternam, in cruce consolando potentérque sustentando & corroborando, abundè erga fideles suos exerendi. Qui gratiæ Divinæ sensus & experimentum efficit, ut ipsi soli confidere, omnémque in ipsum spem suam defigere discant. Unde S. Petrus τὸ χάρις, *Hoc gratia, si propter conscientiam bonam quis perferat luctus, 1. Epist. II. 19.* *Secundò* ejusdem gratiæ Divinæ incremento fideles in passionibus maestantur, Deo potentiam suam in infirmitate eorum perficiente, 2. Cor. XII. 9. Inprimis autem gratiâ Dei crescit in cruce fides, ejusque δοκίμιον probatio, 1. Petr. I. 7. tolerantia, spes, prudentia, humilitas, invocatio, zelus, gratiarum actio, obedientia, Rom. V. 3. &c. & virtutum harum εὐληκεῖν sincerity magis magisque se animis illorum insinuat. *Tertiò* signaculum Spiritus S. in iis residentis, docentisque illatas injurias patienter ferre, non ulcisci, certius suaviusque illis innotescit. Unde S. Petrus iterum: *Si probro afficiimini propter Christum, beati estis.* Nam τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ ἔθεῖ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπέσει, *gloria & Dei Spiritus super vos requiescit, 1. Epist. IV. 14.* *Quartò* residua fidelium peccata & infirmitates castigantur, & castigatæ minuuntur, infringuntur, & injecto veluti fræno coërcentur. *Quem diligit Dominus, castigat, &c.* Et πάντα ποιθεῖα omnis castigatio tandem fructum pacificum justitiæ iis, qui per eam exercitati sunt, reddit, Heb. XII. 6. 11. Et טוב לגבר כי ישא על בנעוריו *Bonum est viro, cum portaverit jugum in adolescentia sua, Lament. III. 2.* Sicut fruges triturâ paleas ponunt & amittunt: sic nos adversis folliculos nimis adhærentes vanitatum. Sicut affilientes undæ scopulos lavant non lædunt: ita fideles adversa immissa à peccatis purgant potius quàm perdunt. *Quintò* fastus & elatio homini insita retunditur, humiliatúrque. Unde Hebræi eadem voce ענה & afflictionem seu per-

secutio-

secutionem & humiliationem exprimunt. Sextò carnis insolentia & securitas reprimitur coërceturque, quam ut plurimum res secundæ nutriunt, fovéntque. Septimò lætitia spiritualis accenditur, seque ex erit magis. Ita Apostoli percussi ab hostibus gaudebant, Act. V. 41. Christus quoque jubet χαίρειν καὶ ἀγαλλιῶσθαι, gaudere & exultare, & S. Jacobus cap. I. 2. πᾶσαν χαρῆν ἠγαλλιῶσθαι, omne gaudium ducere, cum videlicet varias in tentationes inciderimus. Octavò denique per crucem & adversa συμμόρφωσις seu conformatio cum imagine Filii Dei magis procedit, Rom. VIII. 29. His omnibus coronis accedit, per mortem transitus ad hæreditatem cœlestis vitæ, de quo infra fusiùs.

XLIV. Paucis Martyrii hõsce, pluresque etiam fructus longè uberrimos Calvinus Epistolâ ad Martyres inclusos adhuc, prorsus aureâ, quæ Epistol. pag. 196. &c. extat, complexus est his verbis: *Si rem ipsam, ut est, expendimus, optabilius nobis illud erit, cum pro ipsius nomine constanter aliquid ferre dabitur, quàm si veritatis professionem remota afflictione teneremus. Neque enim percipimus tam bene, quæ sit Spiritus Domini vis, nobis in portu navigantibus, atque ubi in altum afflictionum delati, spei remigio tamen salvi & erecti consistimus. Facit autem nostra cœcitas, ut illud minus liquido percipiamus, quod Dominus tamen, cujus oculi certiùs multò inveniuntur, ita uti expedire novit, re ipsa etiam prospicit. Dubitandum igitur non est, quin ad suorum salutem Dominus dirigat, quòd ipsos suo modo exerceri sinit: nobis verò statuendum, non aliud magis exoptandum nobis esse, quàm quòd unus ille pro suo arbitrio de nobis semel statuerit. Quòd si primaria illa ratio, sic esse voluntatem Dei, veram in nobis acquiescentiam, ut ita loquar, sola jam parit: ipsi demum & aliæ accedant, quæ nos etiam ad officii rationem agnoscendam amplectendamque constringant. Nam & fides nostra, cum auro vel argento sit pretiosior, non minus serium examen subeat oportet: & mortificatio nostra, quæ vocationis nostræ scopus est, sensim ita in nobis progreditur: & affectus innati à rebus presentibus avelluntur: ac tot cupiditates prave nobis etiam incomperæ corriguntur: sic tandem perpetuus ille noster & natus tumor, quem nunquam bene exuimus, appositè omnino retunditur. Sic præterea admonemur, quàm incomparabile sit pretium Verbi Dei, cum ubi gratis & sine sudore obtruditur, vilescere nobis soleat. Omnium porro summum illud est, quòd per afflictiones Evangelii conformes efficimur imagini Filii Dei, cum equius nihil sit, quàm extare istiusmodi inter caput & membra convenientiam.*

XLV. Sed ipsos nunc S. Martyres testes citabimus. Sic autem Johannes Vernutius Hieromartyr, omni laude major, Martyrii utilitatem Martyrol. lib. VI. pag. 673. prædicat: *Crucem & adversa à Deo*

Affertur
verbis Cal-
vini ad
Martyres.

Nec non
S. Marty-
rum.
Iohannis
Vernutii,
nobis

nobis submitti noverimus, non quòd doloribus is nostris delectetur, sed ut nobis gustum quendam præbeat, quòd novissimo die se revelaturus sit tanquam justum judicem mundi, diligentem toto pectore justitiam, & injustitiam omnem odio habentem, non tantum ut impiis omnem pretextum eripiat, sed etiam ut fideles maxima utilitate mactet. Testificatur enim illis, quòd non irâ motus eos plectat, sed ex paterno amore castiget. Afflictionibus quinetiam, ceu peccati fructibus eos adigere vult, ut peccatum odio habere, & ad Christi gratiam, qua ab illo liberantur, tantò ardentius aspirent. Sub cruce etiam eosdem iram Dei nonnihil (vix tamen ad momentum, si cum impiis comparentur) sentire eos vult, ut benignissimo Salvatore suo tantò ampliores gratias referant, quòd ex tanta abyfso illos sospitavit, & vice illorum calicem iræ Divinæ potavit. Qui etiam crucem illorum ita sanctificavit, ut jam multum illa prosit, dum fideles per illam ad veram conversionem ducuntur, nec non humilitatem, fidem & gratiarum actionem pro gratia & donis Dei, & mediis in afflictionibus Dei virtutem sentiunt. Sed & crucis subsidio vanitas mundi ex corde credentium extirpatur, ut tantò diligentior æternæ vitæ recordatio, flagrantiusque desiderium animos eorum subeat. Tandem cruce & afflictionibus duci nostro Jesu Christo conformantur, non tantum, quatenus cum illo patiuntur, & sanctificantur: sed etiam quatenus sanctificationis ipsius redduntur participes, adeoque duplici illa via crucis & sanctificationis cum ipso ad cœlestem vitam & gloriam grassantur. En præstantes fructus beatæ crucis! Concludamus igitur cum Davide Psal. CXIX. 71. Bonum mihi, quòd afflictus fuerim, ut discam statuta tua. Si viro tanto opus fuit ea re, quanto magis nobis opus erit? Quàm queso segnes & socordes sumus ad faciendam imperata Dei? Quàm stolidi etiam & superbi sumus, ut crebrò obmurmurare Deo, & frenum ejus mordere non dubitemus? Quàm indignè Jesum Christum contemnimus & blasphemamus? Quàm horrenda ingratitude nostra est? Quàm occupamur rebus terrestribus, & cœlestium obliviscimur? Qui in cognitione Dei & voluntatis ejus quàm maximè profecerunt, id quàm maximè sentiunt, & plus aliis suspirant, desiderantque, ut caro propria, monstrorum domicilium, quo mancipii instar captiva atrinetur, quandiu in terra hac obrepunt, penitus morificetur. Hæc cum ita habeant, dilecta soror, patienter feramus, quicquid benignissimus ille pater nobis injungit, & abominationes illas, quæ oculos nobis effodiunt, & cor ipsum excidunt, deponamus, &c. Quantam porro utilitatem mors ipsa acerbissima licet patientibus præster, Johannes Trigaletus Martyrol. lib. VI. pag. 680. sic copiosè pandit: Parùmne illud est, quòd simul semelque ex quatuor carceribus teterimis, quibus conclusi sumus, liberamur, & ad æternam libertatem traducimur? Et primus quidem ille carcer est mundus perditus, tot peccatis, fraudibus, miseris oppletus. Secundus fœtida

Iohannis
Trigaleti.

CARE

caro nostra est. Tertius anima, unâ cum appendicibus suis, ratione, vo-
 luntate, affectibus, que omnia maligna sunt, & à præceptis Dei variis
 modis transversos nos abripiunt. Nónne fœda hæ sordes sunt, & stupen-
 da abyssus pudendorum scelerum. Faxit Deus, ut ritè illa agnoscamus,
 & misérias hæc deploramus, nobis displiceamus, justitia autem & san-
 ctitati studeamus, veterem hominem crucifigamus, ne amplius concupi-
 scentia prava in nobis regnent, sed ut resuscitemur ad novitatem vitæ,
 &c. Tribus hæc carceribus accedit quartus, ille videlicet, quo singu-
 lari Dei placito ob confessionem filii ejus Jesu Christi detineor. Atque
 hæc prima utilitas est. Porrò si vitam, ad quam contendimus, pensi-
 taverimus, fateamur oportet, beata morte in possessionem ejus nos immit-
 ti. Hæc igitur via libenter incedamus, quia non ita mors nos subigere
 potest, ut in opprobrium nostrum cedat; sed potius ad gloriam aditum
 struit. Non amplius mors manu sua telum gestat, quod æternæ mor-
 tis vulnus instigare possit: sed clavim potius, qua Cœli nobis adyta
 referantur. Idem, qui supra, Johannes Morellius *Martyrol. lib. VII.* Ioh. Mo-
rellii, pag. 925. carceris, quo S. Martyres attinentur, utilitates his verbis
 pandit: Ne carcerem nimium expavescamus. Schola ritè constituta
 carcer est, in qua Filii Dei præscriptum sibi pensum addiscunt, & cœ-
 lesti Patri suo recitant. In carcere discere est, quod verax Deus sit in
 promissionibus suis. Et quanquam fidei & fiducia illius initium in aliis
 etiam calamitatibus hauriri potest: Deus tamen plenius longè se filiis suis
 in carcere aperit explicatque. In carcere vires suppeditat vincendi te-
 nebras, factorem, vincula, famem, sitim, frigus, contumelias, verbera,
 versutiam hostium, veritatis, tormenta, aliæque, quibus quotidie exa-
 gitantur. Et ut paucis finiam, carceres ludi gladiatorii sunt, in qui-
 bus omnium optimus Magister verbera & ictus propria carnis, Diabo-
 li & mundi exire & excutere docet. Nemo igitur carcerem timeat,
 quia is ipse locus est, in quo Deus dona sua copiosissimè erogat. Petrus Petri Brul-
lii, Brullius explorationis per Martyrium usum graphicè *Martyrol. lib.*
III. pag. 305. describit. Sicut, ita inter alia ille, de auro judicari, pu-
 rum bonumque sit, necne, antea quàm ad lydiæ lapidem exactum est,
 argentum quoque, cujusmodi sit, priusquam igni exploretur, discer-
 ni nequit: ita fides quoque nostra adversis & ærumnis variis exploratur,
 sincera sit necne, manifestumque evadit rebus adversis, in petra forti,
 an in arena edificaverimus: an semen simus in bonum agrum proje-
 ctum, an illud, quod in lapideum: aurumne, argentum, margarita, an
 foenum, lignum, stipula simus?

Philoso-
fophorum
consolatio
ab utili ex-
penditur.

XLVI. Argumento *ab utili* arcessito etiam Philosophi adver-
sus mundi hujus calamitates se muniverunt. Nempe finem malo-
rum ajunt illi semper dirigi in bonum. Etsi sæpe per noxios homi-
nes & noxæ causâ administrantur, frangi tamen & temperari eo-
rum vim à Deo, flecti omnia in usum hominum. Et certos quidem
adversitatum usus esse, quòd iis aut *Boni* exercentur, aut *Lapsi*
castigentur, aut *Mali* puniantur. Exerceri porro bonos adversis
tum firmando, tum probando, tum præeundo. *Firmando*, quia hoc
veluti gymnasium, in quo Deus suos ad robur instituit & virtutem.
Sicut nempe Athletæ per multa aspera exercentur, ut vincant: ita
idem bonis quibusque in hac palæstra contingere. Acrem proin-
esse nostrum Gymnasten & exercitorem, laboris, patientiæque ex-
actorem, non ad sudorem tantum, sed ad cruorem usque. Matres es-
se, quæ plerunque specie dulcium enervant & corrumpunt liberos:
Patres autem tristium specie servare. Deum autem patrem nobis
esse, ideòque & verè nos diligere & severè. Sicut arbores ventis
agitatæ altiùs radices agunt: sic bonos in virtute magis comprehen-
dere, impulsos aliquoties adversitatum flabris. *Probando*, quia ali-
ter homini de firmitudine sua aut progressu constare non possit. Si
vela gubernatori ventus semper à puppi impleat, nunquam fore,
ut artem suam is explicet. Ita nec hominem virtutem explicatu-
rum, cui felicia omnia & obsequentia sunt. Obrussam ejus uni-
cam & non fallacem afflictionem esse. Unde Demetrius magnificè:
Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil adversi evenit. Denique
Præeundo, quia bonorum in adversis robur & patientia veluti lumen
quoddam sit tenebricoso huic mundo. Vocare exemplo suo ad ea-
dem alios, & velut limitem signare, per quem eant. Biantem bona
& patriam amisisse: sed inclamare hodièque Mortalibus, ut *Omnia*
sua secum portent. Regulum inter tormenta fœdè perisse: sed vi-
vere præclarum illud fidei exemplum. Papinianum à tyranno cæ-
sum: sed securim illam securitatem nobis imprimere pro justitiâ
moriendi. Denique tot selectos cives per vim aut injuriam pul-
sos aut interfectos: sed è rivis illis sanguinis constantiam & virtu-
tem nos quotidie bibere. Sicut aromata longè latèque odorem mit-
tant, si teras: sic virtutis famam diffundi, si premas. *Lapsos* quod at-
tinet, ajunt, illos adversis castigari, & ea quidem castigatione, qua
nihil mitius aut melius repertum ad salutem. Juvare enim illam &
servare dupliciter: sive flagelli loco, cum peccavimus: sive fræni, ne
pecc-

peccemus. *Flagelli*, quia paterna manus sit, quæ lapsos crebrò verberat : carnificis verò, quæ tardè, sed semel punit. Et mitem quidem hanc ferulam esse. Sicut nempe de Persis proditum, quòd supplicium de illustri viro sumturi, vestem ei & tiaram detrahant, eamque suspensam verberent ut hominem ipsum : sic Deum in castigatione isthac non nos tangere, sed corpus, agros, opes, & omnia externa. *Fraenum* quoque esse castigationem, quod opportunè injiciat, cum peccaturos videt. Sicut Medici sanguinem interdum providè demittunt, non quia æger sis, sed ne ægrescas : ita Deum per has clades quæ jam nobis adimere, materiam aliàs fomitemque vitiorum. Nôsse enim illum naturas omnium, qui condidit : nec ex venis aut colore de ægritudine judicare, sed è pectore, & è fibris. Denique *Malos* puniri, punitione tamen non mala, sive spectemus *Deum*, cujus justitiæ æterna & immota lex postulet, peccata hominum aut emendari castigatione, aut tolli punitione : sive *homines*, quorum stare aut perennare hæc societas non possit, si violentis scelestisque ingeniis omnia sint impunè : sive *eos ipsos, qui puniuntur*, quia non ultio aut vindicta hæc sit propriè, sed non aliud quàm cohibitio quædam à scelere, & repressio : sive denique *justitiam*, quia sicut impunitas mala est, quæ efficit, ut diutiùs scelesti, id est, miseri vivant : ita bonam punitionem, quæ id prohibet. Atque ita de multiplici adversorum utilitate sentientes Philosophos Lipsius *de Const. lib. II* 8. 9. 10. induxit. Pulchrè certè illa omnia, at consolationem nullam afferentia homini peccatori extra Christum. Extra illum quippe nec bonus quisquam est, qui firmando, probando, præeundo exerceri possit : nec lapsis & malis adversa castigationis vel punitionis remedia prodesse, & in bonum cedere possunt. Rectè igitur Ursinus *Explicat. Catechet. quest. II. Ss. 3.* sic *Ἰταλῶν* : *Philosophi dicunt : Bonus est finis, propter quem pateris, ut serves patriam, & gloriam nominis æternam consequaris. Sed interim miser cogitat : quid mihi ista proderunt, dum ego pereo ?* Meritò igitur & hinc de Philosophis usurpamus illa Jobi ad amicos : *אתם טובלי שקר רפאי כלכם* *Vos estis concinnatores falsitatis, medici vani omnes vos!* Job. XIII. 4.

XLVII. Eximios patientiæ fructus *Octavò* spes indubiæ compensationis secundum promissiones Divinas luculentas & amplissimas excipit, quæ non mediocriter animum languentem, *velut incentivo quodam mercedis agitarum*, ut Cypriani verbis utar, erigit

Consolatio VIII.
à spe compensationis secundum pro-

missiones
Divinas
promittitur.

& confirmat. Christus ipse, in quo promissiones omnes sunt Næ & Amen, ejusmodi promissionibus eos, qui crucem sibi impositam æquo animo sustinent, demulcet: *Beati sunt, inquit, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam illorum est Regnum Cælorum. Beati estis, cum probris vos affecerint, & persecuti fuerint, & quidvis mali contra vos dixerint, mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra magna est in Cælis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerant ante vos, Matth. V. 10. 11. 12. Amen dico vobis, quod vos, qui me sequimini, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in throno gloriae suae, sessuri sitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israël. Et quisquis reliquerit domus, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam hereditate adibit, ibid. cap. XIX. 28. 29. Qui diligit animam suam, perdet illam. Qui verò oderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam. Si quis mihi servaverit, me sequatur. Et ubi ego ero, ibi etiam minister meus erit. Et si quis mihi ministraverit, honorabit eum Pater, Joh. XII. 25. 26. S. Paulus quoque spem hanc compensationis uberrimæ insinuat Rom. VIII. 18. Arbitror, passiones temporis hujus minimè pares esse gloriae, quæ in nobis revelabitur. Quæ quidem passionum & gloriae immensa differentia consistit tum in magnitudine hujus præ illa, siquidem ineffabiliter major est gloria, utpote quam nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor cuiusquam ascenderit, αἱ ἡτοιμασθῆναι ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, quæ Deus preparavit diligentibus ipsum, 1. Cor. II. 9. ut verè S. Augustinus pronuntiaverit, eos, qui pro Christo patiuntur, pati parva, ut potiantur magna: tum in duratione, quia pondus gloriae æternum, siquidem τὸ προσωρινὸν ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν, καὶ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βίαις & λόγῳ καταβάλλεται, momentanea levitas afflictionis nostræ excellenter excellentis gloriae pondus æternum nobis conficit, 2. Cor. IV. 27. Nempe πῶς ὁ λόγος. Fides ille sermo est. Si enim unâ patimur, unâ vivemus. Si toleramus, unâ regnabimus, 2. Tim. II. 11. 12. Et Deus regeneravit nos εἰς ἐλπίδα ζωῆς, εἰς κληρονομίαν ἀφθαρτον καὶ ἀμίαντον καὶ ἀμάρτητον, τετηρημένην ἐν ἄστρον εἰς ἡμᾶς &c. ad spem vitam, ad hereditatem incorruptibilem, & impollutam & immarcescibilem, asservatam nobis in Cælo. Quæ in re exultatis, ὀλίγον ὄλεθρον (εἰ δέον ἐστὶ) λυπηθέντες ἐν ποικίλοις πειρασμοῖς, paululum nunc, si opus est, in variis tentationibus tristitiâ affecti, 1. Pet. I. 4. 5. 6. Splendida quinetiam promissione victores in perse-*

persecutionibus lactavit Christus Apocal. II. 26. 27. inquit: *Ei, qui vincit, & servat opera mea ad finem usque, dabo ἐξουσίαν ἑπὶ τῶν ἐθνῶν potestatem super gentes. Et pascet eas baculo ferreo, &c. Et dabo ei τὸν ἄσπερον τὸν πρωινὸν stellam matutinam.* Et cap. III. 5. *Ὁ νικῶν ἔτι & ἐπιβαλεῖται ἐν λευκοῖς. Qui vicerit, is albis vestietur. Et non expungam nomen ejus ex libro vite, & confitebor nomen ejus in conspectu Patris mei, & in conspectu Angelorum.* Confer v. 12. 21. Et spes quidem illa gloriosæ adeo compensationis firmissima est, utpote non flaccido aliquo tibicine nixa, sed freta tum promissione infallibili Dei mentiri nescii, nec ποῦ ἀμεταθέτω τῆς βουλῆς immutabili ejusdem consilio, Tit. I. 2. Hebr. VI. 17. 18. tum passionum ipsarum indole, utpote quæ volente Deo fidelibus inter salutis media certissimæque περὶ μετὰ deputantur. Nam ἀπὸ πολλῶν θλίψεων per multas afflictiones Regnum Dei ingredi oportet, Act. XIV. 22. Omnesque piè volentes vivere in Christo διωχθήσονται persecutionem patientur, 2. Tim. III. 12. Et qui pro Regno Dei patiuntur, dicuntur καταξιωθῆναι τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ digni Regno Dei reddi, 2. Thessal. I. 5. Denique passiones ἐνδοξίας τῆς σωτηρίας indicium salutis Phil. I. 28, dicuntur. Meritò certè Calvinus argumentum isthoc Epistolâ ad Vinculos Fideles Lugduni pag. 278. ejusmodi verbis strinxit: *Illo argumento fas sit nobis insultare totius mundi ferociae, dum ad illam spem contendimus, quæ nos demum in abscondita vite nostra plenissimam fruitionem intromittet.* Et paulò supra: *Illud vobis constat, nos ex hac vita migrantes non in incertum ferri, tum quia de certissima illa post istam evanidam cœlesti vita abundè estis persuasi, tum inprimis, quòd plenissima adoptionis Domini gratuita fide instructi, ad illam vitam jam non secus atque ad vestram hereditatem & patrimonium contenditis.*

XLVIII. Atque eodem etiam argumento S. Martyrum patientiam veteres inflammârunt. Origenes certè suam ad Martyrium Exhortationem sic exorditur: *Οἱ ἀπογαλακτισμένοι ἀπὸ γάλακτος οἱ ἀπεσπασμένοι ἀπὸ μαστῶ, θλίψιν ἐπὶ θλίψει προσδέχεσθαι. προσδέχεσθαι ἐλπίδα ἐπὶ ἐλπίδι ἐπὶ μικρὸν, ἐπὶ μικρὸν ἀπὸ φαυλισμὸν χειλέων, ἀπὸ γλώσσης ἐτέρες. καὶ ὑμεῖς τοίνυν ἕτερον τὸν Ἠσάϊαν. ὡς ἰδέτε σαρκίνοι, ἀλλ' ἐν Χριστῷ νήπιοι. προσκόψοντες ἐν τῇ νοητῇ ὑμῶν ἡλικίᾳ. ἀμβρόσιον θεοπροπέετε, καὶ πρωτόκτυπον εὐσεβέετε. καὶ μηκέτι χρεῖαν ἔχοντες γάλακτος, ἀλλὰ σερῶς τροφῆς ἀκχετε, ὡς ἀπογαλακτισμένοι ἀπὸ γάλακτος, καὶ ἀπεσπασμένοι ἀπὸ μαστῶ, τινὰ τρόπον ὡς ἀθληταῖς τοῖς ἀπογαλακτισμένοις, ὅτι ἀπλῆ θλίψις, ἀλλὰ ἡ θλίψις ἐπὶ θλίψει προσθητέεται. Ὁ δὲ μὴ ἀποθῆμεν*

Eadem firmatur ex Protreptico Origenis.



τὴν ἐπὶ θλίψει θλίψιν, ἀλλ' ὡς γενναῖοι ἀθλητῆς αὐτὴν προσδεχόμενοι,
 εὐθέως προσδέχεται καὶ ἐλπίδα ἐπὶ ἐλπίδι, ἥς, μετ' ἕ πολὺ τῆς ἐπὶ ἐλ-
 πίδι θλίψεως ἀπελαύσαι. Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ, ἐπι μικρὸν, ἐπι μικρὸν. Ἀλλὰ καὶ
 εἰ φαυλίζοιεν ἡμᾶς καὶ ἐξολοθίζοιεν, ἦτοι ἀσεβεῖς, ἢ μωροὶ ἀποκαλῆντο οἱ
 ἀπώτεροι, καὶ τὰς ἀγίας γραφὰς ἀφ' ἑαυτῶν ἀπομιμνησκόμεθα, ὅτι ἡ ἐπὶ ἐλ-
 πίδι ἐλπίς, ἢ ἐπὶ μικρὸν ἀποδοθεῖσα ἡμῖν, ἀποδοθήσεται διὰ φαυλισμὸν
 χειλέων. Διὰ γλώσσης ἐτέρης, καὶ πῶς οὐκ ἂν προσδέχοιτο θλίψιν ἐπὶ
 θλίψει, ἵνα εὐθέως προσδέξῃται καὶ ἐλπίδα ἐπὶ ἐλπίδι; λογιζόμενοι μὴ
 Παῦλος, ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τῶν νῦν καιρῶν, ὧν ὡσπερὶ ὠνόμεθα τὴν
 μακαριότητα, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλύπτεσθαι εἰς ἡμᾶς. καὶ
 μάλιστα, ἐπεὶ τὸ παροῦσιν ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν, ἐλαφρὸν τοῖς μὴ
 βαρυνμένοις ὑπὸ τῶν πνευματικῶν καὶ τυγχάνων καὶ λεγόμενον. Ὅσα πλείον
 ὑπερβάλλον γίνεται, τοσῶτω μείζον καὶ πλείον βάρει αἰωνίᾳ δόξης κατερ-
 γάζεται ἡμῖν, εἰ πρὸς τὸν καιρὸν τῶν θλιβόντων, καὶ ὡσπερὶ πῆξιν τὰς
 ψυχὰς ἡμῶν ἐθελόντων, ἀποσρέψαντες τὸ ἡγεμονικὸν ἀπὸ τῶν ὀπιπώνων, σκο-
 πῶμεν ἢ τὰ ἐνεσηκότα ἐπίπονα, ἀλλὰ τὰ διὰ τὴν ἐν τῶτοις ὑπόμονην, τοῖς
 νομίμως ἐν Χριστῷ ἀθλήσασιν χάριτι Θεοῦ ἀποκείμενα. *Ablactati* (*Esaj.*
XXVIII. 9. 10. 11. juxta vers. LXX.) *à lacte, avulsi ab ubere, afflictionem*
super afflictionem expecta: praestolare spem super spem: adhuc parum,
adhuc parum, propter irrisionem labiorum, propter linguam alteram.
Vos itaque secundum Esajam, velut neutiquam carnales, neque in Chri-
sto infantes, sed etate, intelligentiâ proveci, devotissime Ambrosi, ac
pietissime Protocete; Vos, qui non amplius lacte, sed cibo solido opus
habetis; audite velut ablactati à lacte, & abstracti ab ubere, qua ra-
tione tanquam certatoribus ablactatis, non simpliciter afflictio, sed affli-
ctio super afflictionem praedicitur. Qui autem afflictionem super affli-
ctionem non declinaverit, sed generosi certatoris instar exceperit, is il-
lico spem supra spem accipit, quâ, post exiguam super spe afflictionem,
fruetur. Id ipsum enim vult illud; adhuc parum, adhuc parum. Et si ve-
rò nos floccifaciant, & vilipendant, aut impios stultosque vocent ii, qui
à S. Scriptura dialecto alieni sunt: recordamur tamen, quòd spes super
spem, quæ adhuc parvo tempore nobis concessa est, exhibebitur propter
irrisionem labiorum, propter linguam alteram. Quis verò afflictionem
super afflictionem non acceptaret, ut citius spem super spem consequa-
tur? Cum Paulo cogitans, non esse condignas passiones hujus temporis,
quibus beatitudinem quasi mercamur, collatas ad futuram gloriam, quæ
revelabitur in nobis: & maxime cum quod momentaneum est & le-
ve tribulationis vestra (leve scilicet iis, qui non gravantur à circum-
stantibus,

stantibus, re ipsa est, & verbo dicitur:) quanto magis augetur, tanto majus & amplius pondus aeternae gloriae operatur in nobis: siquidem tempore affligentium, & quasi animas nostras opprimere volentium, animi principatum avertentes à molestiis, non respicientes presentes labores; sed ea, quae propter tolerantiam in his praestitam, legitime in Christo certantibus, gratiâ Dei adjiciuntur. Plura eam in rem inferius pag. 164. 174. 175. 176. 177 & c. præclare differentem vide.

XLIX. Sicut autem Origenes suum ad Martyrium *ἑτοιμασθὲν* hoc argumento exorditur: ita S. Cyprianus suam ad Martyres Exhortationem eodem claudit. Allatis pluribus S. Scripturae testimoniis, quæ & nos supra posuimus, cap. XII. subjicit: *Quis ergo non omnibus viribus allaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Christo statim gaudeat? ut post tormenta & supplicia terrena, præmia Divina percipiat? Si militibus Secularibus gloriosum est, ut hoste devicto redeant in patriam triumphantes: quanto potior & major est gloria, victo Diabolo ad paradysum triumphantem redire, & unde Adam peccator ejectus est, illuc prostrato eo, qui ante dejecerat, trophæa victricia reportare? offerre Deo acceptissimum munus, incorruptam fidem & virtutem mentis incolumem, laudem devotionis illustrem? comitari eum, cum venire cœperit, vindictam de inimicis recepturus? lateri ejus assistere, cum sederit judicaturus? cohædem Christi fieri? Angelis adæquari? cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis cœlestis Regni possessione letari? Has cogitationes, quæ persecutio potest vincere, quæ possunt tormenta superare? Durabilis & stabilis religiosis meditationibus fundata mens: & adversus omnes Diaboli terrores & minas mundi, animus immobilis perstat; quem futurorum fides certa & solida corroborat. Clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet Cœlum: minatur antichristus, sed Christus tuetur: mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso mundus eripitur, sed restituito Paradysus exhibetur: vita temporalis extinguatur, sed aeterna reparatur. Quanta est dignitas, & quanta securitas exire hinc latum, exire inter pressuras & angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim, ut Deus videatur & Christus? Tam velociter migrandi quanta felicitas? Terris repente subtraheris, ut in Regnis Cœlestibus reponaris. Hac oportet mente & cogitatione complecti, hæc die ac nocte meditari. Sed & significantibus similitudinibus argumentum illud idem Cyprianus, sive quisquis auctor est libri de laude Martyrii (nam Cypriani esse merito*

Nec non
S. Cypriani
Adhortatione ad
Martyres.

merito negavit Erasmus, levibus rationibus asseruit Pamelius) re-
praesentat. Mors, ita ille, integriorem facit vitam, mors magis dedu-
cit ad gloriam. Sic quotiescunque jacentibus stipulis distenta imbribus
frumenta iurgescunt, fecunda messes coguntur aestate: sic quotiens ferro
vitis abscinditur, erumpentibus pampinis melius uva vestitur; nam &
in augmentum proventuri temporis cedit, quicquid injuriâ suâ profi-
cit. Flammâs quippe plerunque agris juvit immittere, quo calore va-
gantis incendii cœca terræ spiramenta laxentur: juvit leves stipulas cre-
pitanti igne torrere, ut se aliâs grâvida seges tollere, parturientibus cul-
mis densior arista valeat florere. Igitur talis & martyrii primò casus,
postmodum fructus est, qui morte vitam condemnat, ut vitam morte
custodiat. Et mox: Quid tibi cum hac luce, cui vita eterna promissa
est? quid cum hoc vita naturâq; commercio, quem Cœli amplitudo de-
poscit? &c. Quamobrem, charissimi fratres, fide firma, devotione robu-
sta contra minas Seculi atroces & asperas insequentium fremitus, ad-
versa virtute resistendum, nec timendum, quorum spes eternitatis & vi-
ta cœlestis est, quorûmque ardor in cupidine lucis succenditur, & solus
de promissa immortalitate letatur. Tertullianus ad Martyres cap. 4.
eos, qui famæ & gloriæ temporalis causâ iniqua multa perpessi
sunt, cum patientibus pro nomine Christi sic confert: Timebit forsi-
tan caro gladium, gravem, & crucem excelsam, & rabiem bestiarum,
& summam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormen-
tis: sed Spiritus contraponat sibi & carni acerba licet ista, à multis ta-
men, equo animo excepta, imò & uliro appetita famâ & gloriæ causâ,
nec à viris tantum, sed etiam à fœminis, ut vos quoque benedicta, sexui
vestro respondeatis. Longum est, si enumerem singulos, qui se gladio con-
fecerint, animo suo ducti. De fœminis ad manum est Lucretia, quæ vi-
stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, ut glo-
riam castitati suæ pareret. Mutius dexteram suam in ara crema-
vit, ut hoc factum ejus fama haberet, &c. Sed mortis metus non tantus
est, quantus tormentorum. Itaque cessit carnifici meretrix Athenien-
sis? quæ conscia conjurationis, cum propterea torqueretur à tyranno, &
non prodidit conjuratos, & novissimè linguam suam comestam in fa-
ciem tyranni expuit, ut nihil agere se scirent. tormenta etsi ultra perse-
verarent. &c. Igitur si tantum terrena gloria licet de corporis & ani-
mi vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant,
sub premio laudis humana, possum dicere, modice sunt ista passiones ad
consecutionem gloria cœlestis & Divinae mercedis. Si tanti vitrum,
quanti

Tertullia-
no ad Mar-
tyres.

quantum margaritam? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero cupiat erogare, quantum alii pro falso? Faciunt huc illa S. Augustini Serm. de Conv. Pauli verba cedro digna; Appendo, ita ille, quod patior, contra id, quod spero. Hoc sentio, illud credo. Et tamen, plus credo, quam quod sentio. Quicquid est quod sevit, pro nomine Christi si potest vincit, tolerabile est. Si non potest vinci, migrare hinc facit. Non extinguit, sed accelerat ipsum premium, ipsam dulcedinem, qua cum venerit, sine fine erit. Opus cum fine, merces sine fine.

S. Augusti-
no.

L. Nunc etiam S. Martyrum de argumento isthoc voces, ab ipso Spiritu S. inter quæsitissimas angustias dictatas audiamus. Illos inter summam rei delibavit Hagiomartyr Alexander Daykenus Epistolâ ad fratres Tornacenses *Dei velum Martyrol. lib. VIII. pag. 1218.* ubi ita ille: Dein promissiones Christi illis, qui pro nomine eius patiuntur, factas ubi expendo, magis etiam extra me abripior, expensis maximè verbis illis (Apoc. III. 12.) Qui vincet, sedebit in throno meo, sicut ego post victoriam sedeo in throno patris mei. Et alibi (Apoc. XIX. 7. 9.) Venient ad nuptias Agni. Iterum alibi (Apoc. XXI. 7.) Qui vincit, omnium hereditatem adibit, & pater eius ero, & ipsi filii & filie meæ erunt, inquit omnipotens ille Dominus. Atque id ipsum Christus suis ad animum revocavit, de persecutione ad illos verba faciens, & ad constantiam incitans eo argumento, quod Regnum Dei ad illos pertineat. En, charissimi, altera hæc lætitiæ meæ causa est. O quantum gaudium! O quantum solatium illud, ubi ad perfectam æternæ salutis fruitionem intromissi fuerimus! Ubi immarcessibilem illam gloriæ coronam adepti fuerimus, victoribus paratam à Filio Dei, cum stipantibus Angelis & clangente tuba venerit, suosque invitaverit his verbis: Venite benedicti Patris mei, hereditate adite Regnum inde à mundi primordio vobis destinatum! Quidni, charissimi, magis magisque annitamur obsequi Domino, & patienter agonem nobis propositum decurrere! Permitteremusne nos spoliari Regno, quod non nisi vincens paratum est? Quid à Christo nos separare potest? Calamitas, persecutio, fames? paupertas? morbus? jactura terrestrium? metus exilii? Nequaquam verò. Proinde si vel maximè nunc totum mundum lucrarer, animæ verò jacturam facerem, quod permutationis pretium pacisci possem? Dicam ergo cum Apostolo, quod nihil me separare possit à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. Quamobrem verò? Quia Deus nobiscum est.

Denique
dictis e-
mortalibus
S. Mar-
tyrum.
Alexandri
Daykeni

LI. Franciscus San-Romanus Hispanus, palæstrita, si quisquam alius, eximius, à Cæsare Carolo V. cujus procurandæ salutis inhi-

Francisci
San-Ro-
mani,

G

bat,

bat, Augustâ captivus abductus, amico de statu afflicto ejus percontanti, catenas, quibus constrictus erat, expansas ostendit, additis hisce verbis, quæ *Martyrol. lib. III. pag. 297.* extant: *Ferreis hisce catenis, contumeliosisque, quas in gratiam Servatoris mei Jesu Christi perpetior, carceribus, honorem & gloriam illustriorem, celebriorisque longè triumphos, quàm in Regiis Casareisque palatiis videris unquam, me consecuturum penitus confido. Vides equidem, me ferreis catenis fœtido huic currui alligatum. Ast inde ab hoc tempore Dei gloria mihi affulget. Innocentia mea, et spes futura gloria tantum cordi meo gaudium ingenerat, ut eloqui id neutiquam valeam.* Petrus Brullius sic uxori suæ & sorori paulò ante Martyrium *ibid. pag. 308.* scribit: *Genus mortis mihi infligenda hoc erit, ut vivus comburam, cineresque mei in profluentem dispergantur. Id verò non ullo mortis metu scribo. Licet enim probè sciam, diem illam inferenda corpori meo morti destinatam esse, non minùs tamen certus sum, (atque hæc causa est contempta à me mortis) quòd ipsa illa dies promotura sit vitam spiritus mei, qui cum Christo Sponso plenè, nisi dissolutus à corpore meo, regnare nequit. Quamdiu enim in corpore agitamus, à Domino peregrini sumus. Quocirca, Soror mea, in Domino letare.* Petrus Scriba, intrepidus ille Christi Agonistes, sic συναγωγῆς suos *ibid. lib. IV. pag. 418.* ad bella Domini animat: *Nostra quidem afflictio exigua est, parvòque tempore durat: sed consequens fructus & consolatio æterna est. O si æternam gloriam, immarcessibilemque coronam nobis preparatam ritè perpenderemus: si ineffabilia beneficia, thesauròsque cœlestis hereditatis, quos vita, morte & resurrectione sua Christus nobis acquisivit, probè meditaremur: si, inquam, æternam felicitatem, gaudium & gloriam, quæ corporibus nostris immortalibus redditis, & glorioso corpori Christi conformatis positiemur, sedula mente volveremus, enixissimè in carcere nostro mediæque morte gauderemus, Deo Patrique nostro fidelissimo dies noctesque gratias ageremus, eumque, quòd tanto Martyrii honore nos beet, jugiter celebraremus, denique lubentes promique corpus nostrum in nobili ad eò causa divinitus nobis demandata sacrificaremus. Idem pag. 427. sic argumentum hoc tractat: Licet caro nostra tristetur, contremiscat, suspiret & lachrymetur, imminentis horrenda mortis intuitu: Spiritus tamen ipsi beatam & gloriosam resurrectionem, postquam plenissimè illa renovabitur, æterno gaudio & gloria coronabitur, corpori Jesu Christi glorioso conformabitur, & in Cælo cum Deo omnibusque Sanctis æternùm vivet, proponit. &c. Si gustum cœlestis gaudii, quem S. Mar-*

Petri Brul-
lii.

Petri Scri-
bæ.

tyris

tyres pro Christo patientes in hac adhuc vita percipiunt, sentiremus, segnes aded in hoc negotio neutiquam essemus, in securitatem tantam non prolaberemur, crucem & afflictiones pro verbo & honore Dei non aded exhorresceremus, &c. Et pag. 430. Propter Christum mori lucrum est. Et qui vitam suam conservare vult, eam perdet. Qui contra propter confessionem verbi ejus perdiderit, conservabit, & cum Christo in throno Dei sedebit in aeternum, fulgebitque in Regno Coelestis Patris sui. O Christiani vos & Martyres miseri, qui in opacis horrendisque carceribus decumbitis, & desolationem corruptionemque mundi intuentes plangitis; qui identidem magnis terroribus percellimini, & à carnis vestrae infirmitate divexamini! Qui à rugiente illo leone Diabolo graviter infestamini, & à mortis tremenda intuitu cohorrescitis! O Filii Dei ab aeterno ad vitam electi, contueamur incomprehensibiles & immensos thesauros in caelis nobis repositos! Perpendamus magnam & incorruptibilem hereditatem, aeternam vitam, ineffabile gaudium ante jacta mundi incunabula nobis preparatum! Aciem oculorum nostrorum in abyssum gloriae & immortalitatis desigamus! Consideremus, charissimi fratres, magnam quidem esse afflictionem nostram, at brevi tempore illam duraturam, aeternam verò letitiam & interminabilem post se tracturam. Hoc si fecerimus, non gravis nimis videbitur nobis afflictio, quin potius tristitiam luctumque omnem promptè discutiemus. Quinetiam crucem nobis impositam animo hilari excipiemus, intrepidique mortem adibimus, & capita nostra attollemus, certi, quòd liberatio nostra appropinquet. Bona igitur nobis parata respiciamus. Si terrà nos exterminabunt, apertum nos, sicut S. Stephanum, caelum excipiet. Si vità nos privabunt, Christum Jesum, qui vita nostra est, qui mortuus est & resurrexit, ut cum ipso similitudine mortis sepeliatur, & virtute ejus novissimo die resurgamus, animo concipiamus. Si corpus nostrum humile ignominia afficitur, at resurget gloriosum & immortale. Si infirmum est, resurget in potentia: si naturale & corruptibile, spirituale & incorruptibile resurget. Si in hac vita lachrymis, suspiriis, omnique miseria & calamitate se macerare, peregrinumque in hoc mundo censerì cogitur, ineffabili mox gaudio recreabitur, & in caelo apud S. Angelos, Prophetas, Apostolos, Martyres habitabit, atque vivet in aeternum. En, Fratres, consolationem praestantissimam, quâ in carcere hoc nos erigere, omnemque tristitiam, quam nobis caro, Sathan & mundus parit, profligare possumus, donec in caelum, ad coelestis patris nostri thronum, abripiemur.

LII. Coelestem hanc gloriam cum praesente vita, passionibus & aeterna damnatione egregiè sic olim contendebat S. Martyra Julitta apud Basilium Homil. 5. in Julittam pag. 369. Γῆν μὲν ἀφαιρέ-
μένην, ἵνα ὡς δάδεισον κτήσεται. αἰμίαν δὲ καταδικαζομένην, ἵνα κτήσῃτε τῆς
Στεφάνου τῆς δόξης ἀξίωθῆ. σῶμα δὲ καλοικιζομένην, καὶ ζωὴν ἀφαιρέ-
μένην comparant

Rulitta.

τὴν πρὸς αὐτὸν, ἵνα τῶν μακαρίων ἐλπίδων λάβῃται. Terram quidem perspiciebat sibi adimi, ut possideret Paradisum: additi infamiae, digna ut haberetur corona gloria: corpus per contumeliam concidi flagris, vita quoque hac temporaria spoliari, compos ut esset beatae spei. Praeclara etiam sunt illa Martyris

Gordius.

Gordii apud eundem Basilium Homil. 19. in Gordium pag. 522. Ὅσῳ ἂν ἄπτείνητε τὸ δεινὸν, τοσῶτα μείζονά μοι τὴν ἀντίδοσιν θεοξενεῖτε. Συναλλήγματος ἡμῖν ἐστὶ ταῦτα θεὸς τὸν δεσπότην. ἀντὶ τῶν μωλώπων τῶν ἐπανιστάμενων τῷ σώματι φωτεινὸν ἔνδειμα ἡμῖν ἐν τῇ ἀναστῆσθαι ἐπανδύσει. ἀντὶ τῆς ἀπίμίας σέφανος, ἀντὶ δεσποτικῆς ἐξουσίας ἀντὶ τῆς μετὰ τῶν κακῶν κατὰ δίκης, ἢ μετὰ Ἀγγέλων διαγωγῆς. σπείρετε πολλὰ ἐν ἐμοί, ἵνα θερίσω παιδαγωγασίονα. Quanto magis vos (persecutores) tormenta augebitis, tanto majus mihi premium comparabitur. Commercia sunt ista nobis cum Domino atque contractus. Pro vibicibus in corpore eminentibus, in resurrectione splendido induemur amictu. Pro contumelia atque ignominia palmas coronasque assequemur. Pro vinculis & carcere per ampla Paradisi spatia leti vagabimur. Pro accusatione demum atque iniqua condemnatione, gloriam ex Deo & Angelis referemus. Mina vestra semina mihi sunt Divina, unde immortalitatem perpetuamque gaudia metam. Et paulò inferius pag. 525. καὶ τοι εἰ καὶ τὸ διαρκὲς ὁμοιον εἶχε τὰ γῆινά, σπυράζειν ἐχεῖν ταῦτα διαμείβειν θεὸς τὰ ἐργάσια. Ἐν δὲ καὶ ὀλιγοχρόνια, καὶ τῇ ἀξίᾳ τοσῶτον ἀπολεπόμενα. Ὁρθοπληξίας δεινῆ, τῇ πρὸς ταῦτα σπυράξῃ τῶν ἐν τοῖς ἐλπίσιν ἀποκειμένων μακαρισμῶν ἐπιπίπει. Etiam si sempiterna essent terrena ista, nihilominus sic quoque pro caelestibus commutanda essent. Verum quoniam fluxa fragilesque sunt, & illorum comparatione maximopere indigna, quis furor, in his invigilare, & illorum studio spem illam beatam credentibus repositam negligere? Apud eundem Homil.

Quadragesima Martyres.

20. pag. 531. sic se quadragesima Martyres frigoris supplicio consumendi invicem consolantur: Δεινὸς ὁ χειμὼν, ἀλλὰ γλυκὺς ὁ ὀρθόδεισος. Αλγεινὴ ἢ πῆξις, ἀλλὰ ἡδεῖα ἢ ἀπόλαυσις. μικρὸν ἀναμείνωμεν, καὶ ὁ κόλπος ἡμῶν θάλπει ἔπαλαιάρχῃ. μιᾶς νυκτὸς, ὅλον αἰῶνα ἀνταλλάξομεθα. καυοθήτω ὁ πῆξις, ἵνα διηνεκῶς μετὰ Ἀγγέλων χορεύῃ. Ὅσοι ἔνυτῳ ἢ χεῖρ, ἵνα ἔχη παρ' ἐμοῖαν θεὸς τὸν δεσπότην ἐπαίρεσθαι. Acris est hyems, sed dulcis est Paradisus. Affligens glacies, sed delectabilis requies. Brevi tempore durante, sinus Abrahae nos perpetuò fovebit. Unam noctem cum aeo sempiterno commutabimur. Incendatur frigore pes, ut facultatem habeat in Deum se atrollendi.

Petrus Scriba.

LII. Sed & eundem, quem supra, Hieromartyrem Scribam p. 445. sic eadem de re differentem audiamus. Perpendamus, ita ille crucis suae socios alloquitur, quod loco vitae temporalis, quae miseriarum quaedam vallis est, donaturus sit vitam aeternam, in qua loco temporalium & caducorum thesau-

thesaurorum eternam pacem, latitiam, salutem & gloriam adipiscemur. Prestabuntur nobis bona, thesauri, divitiæ cæli, & gloria corona immarcescibilis, qua omnibus bonis reliquis multis parasangis antecellit. Loca parentum, fratrum, sororum, uxorum & liberorum, quos heic relinquimus, in cælo sortiemur patrem nostrum Cælestem, in communionem tot millium Angelorum & beatarum animarum, sine fine laudes Dei decantantium: ubi & ridere & letari magna cum voluptate juvabit, hostibus nostris Evangelium nunc persequentibus miserè & cum dentium stridore ejulaturis ob ineffabilia tormenta, quæ in inferno unâ cum duce suo sustinebunt. Tum demum maxima cum anxietate & dolore intensissimo agnoscent, quod in mundo agnoscere noluerunt. Nihil tum eos immensa opes & thesauri juvabunt, quin potius hi ipsi Dei vindictam contra illos implorabunt, &c. Num quid illi parentes, fratres, sorores, uxores pulchrosque liberos ex horribili, quo divexabuntur in æternum, cruciatu liberare poterunt? Eandem antithesin sic Matthæus Dymonetus lib. IV. pag. 511. urget: Serio cogitate, quantum beneficium sit à Filio Dei adoptari, & ejusdem coram Deo, Angelis, omnibusque creaturis testimonio exornari. Cogitate, an in mundo hoc ullum Regnum tanto cum beneficio comparari possit. Contra perpendite etiam, quanta ignominia, quanta calamitas futura eorum sit, qui à Filio Dei coram Cælesti Patre, S. Angelis & creaturis omnibus contumeliâ afficientur & rejicientur: & an miseria ulla cum hac comparari queat. Hæc enim summa & extrema calamitas est, qua nulla gravior hominibus obtingere potest. Sed & Johannes Bradfordus Anglus eandem in rem sic persecutori suo lib. V. pag. 640. respondit: Dei Patris mei misericordia longè mihi, quàm propria vita mea, utilior, melior, infinitisque modis acceptior est. Novi quinetiam, cui vitam meam tuendam commiserim, illi nempe, qui eam potenter & tueri & conservare potest. Unde invito ipso nemo me eâ exuere poterit. Fiat proin misericors Dei voluntas. Nam vita cum Dei ira et indignatione conjuncta, morte ipsa longè acerbior est: contra mors cum Dei gratia & favore conjuncta vitâ ipsâ expetibilior longè est. Magnus ille in sacra hac militia Achilles, Annas Burgius lib. VII. pag. 983. sic persecutores suos alloquitur: Quid laqueos & ignes innocens timeam, gnarus utique inter maxima peccata apud Deum censerî beneficia & meritum Christi rejicere & conculcare, uti vos quidem facitis. Ut mihi insidiantur hostes, ut corpus torqueant, id tamen mihi certum est, me omnésque pios Christianos jam olim ut miseræ oves mactationi destinatos esse. Conculcent ergo nos pedibus suis,

Matthæus
Dymone-
tus.

Ioh. Brad-
fordus.

Annas
Burgius.

occidant nos pro libitu. Non propterea mortui in Christo vivere cessabunt, cum quibus ego quoque resurgam.

Afflictiones medium esse ad salutem, agnoscunt S. Martyres; Ioh. Ludovicus Paschalis.

LIII. Afflictiones porro & passiones hujus mundi medium esse ad consequendam salutem divinitus ordinatum, sic Joh. Ludovicus Paschalis *Martyrol. lib. VIII. pag. 1081.* appositè docet: *Agnoscite, ita Fratres ille compellat, quòd afflictio divinitus vobis submissa medium sit, quo Deus ad salutem vestram promovendam utitur. Neque enim in cœlis thesaurum colligere is potest, qui prius mundum hincce terrestrem & fœtidum, à quo omnes, qui ei adherent, & qui ejus pascuntur deliciis, fœdè decipiuntur, contemnere non didicit. Idcirco Deus statuit, ut quolibet tempore intimi amici fidelissimique servi sui ab adversariis suis exagitentur, ut experiundo discant veritatem sententia Divina, quòd in terra civitatem permanentem non habeamus, sed futuram requiramus. Idque coram Pharaone etiam Patriarcha Jacobus confessus est. Abrahamus quoque accepta adoptionis promissione, illico divino mandato iussus est exire domo Patris, Patria, & ex amicorum contubernio. Cujus consortes eritis, fidem & obsequium ejus ubi imitati fueritis. Præclara in eandem rem sunt Georgii Marshæi Hieromartyris Angli, quæ Epistolâ ad amicos paræneticâ apud Foxum *Comment. pag. 437.* hisce verbis expressit: *Per multas tribulationes, teste Paulo, oportet nos intrare in Regnum Dei. Est enim Regnum hoc Dei civitas, adificata & posita in loco campestri, plena omnium bonorum: cujus introitus angustus & in precipiti positus, quasi esset à dextris quidem ignis, à sinistris aqua alta: semita autem una sola inter eos posita, hoc est, inter ignem & aquam, ut non capiat semita nisi solummodo vestigium hominis. Si autem civitas dabitur in hereditatem, qui tunc nunquam ante positum periculum pertransierit, quomodo accipiet hereditatem suam? Quum itaque per angustias viarum harum iter nos ducat, contendamus in stadio ad civitatem vite æternæ propositam. Neque nos spinose salebræ, aut hiulci viarum anfractus permoveant, quin promoveamus in cœpto curriculo, ac ne morte denique ipsa terreamur. Principio in ducem ipsum intuentes Christum, cœtera quaque contemnamus pericula. Is enim nos incolumes per mille pericula rerum, per saxa, per ignes ad portum aliquando perducet optatæ beatitudinis. In bellis istis insanis cœterisque hujus mundi commerciis, nōne vides, quantulam ob mercedem, quàm alacribus studiis militum animi nihil laboris defugiunt, vilem habent animum, quanto ardore certatim in hostem feruntur adversum? Et quid tandem mercedis tantis istis laboribus petaturi?**

Nempe

& Redemptor tuus Sanctus Israël. Cap. XLIII. 1. 2. Sic dixit Jehova creator tuus, ô Jacob, & Formator tuus, ô Israël. Ne timeas, quia redemi te: vocavi nomen tuum. **אֲנִי ה' אֱלֹהֶיךָ** meus es tu. Cum transieris per aquas, meus eris tu, & flumina non operient te: cum ambulaveris per ignem, non combureris, nec flamma ardebit in te. Quia ego Jehova Deus tuus, Cap. XLVI. 3. 4. Audite me domus Jacob, & omnes reliquæ domus Israël, qui portamini à me ab utero, & gestamini à vulva. Et usque ad senectam ero ego vobiscum, & usque ad canitiem ego portabo. Ego feci, & ego feram: ego quoque portabo & eruam. Cap. XLIX. 15. 16. dixit Sion: Dereliquit me Jehova & Dominus oblitus est mei. Numquid obliviscetur mulier infantis mei, ita ut non misereatur filii uteri sui. Etiam ista obliviscatur, sed ego non obliviscar tui. **הֲנֵן עַל כַּפַּיִם חֲקַתִּיךָ** Ecce in manibus descripsi te. Joh. XIV. 16. 18. 23. Dabit vobis alium paracletum, ut maneat vobiscum in æternum. Ego & pater veniemus, & mansionem cum eo faciemus. Non relinquam vos orphanos. Apoc. II. 10. **Μὴ δὲν φοβῆσθε τὰ μέλητα πάτερων.** Nihil time eorum, quæ passurus es. Promissiones has, aliasque similes Deus confirmavit tum illustri typo, rubi videlicet ardentis, in cuius flamma Deus apparuit, quique etiam comburi non potuit, Exod. III. 2. 3. quod eximium præsentie Dei in mediis etiam flammis symbolum fuit: tum insigni etiam apparitione Dan. III. 25. ubi Filius Dei in fornace Babylonica cum Sadrach, Mesach & Abednego obambulans, eosque protegens inducitur: tum denique exemplis innumerabilibus eorum, qui vel perierunt in persecutionibus, vel potenter etiam liberati sunt. de quibus paulò post. Hæc nempe vis insuperabilis est amoris Divini erga electos, ut & illis nunquam non præstò sit gratiæ suæ præsidio, & hostes eorum nunquam non contundat. Quam proin Ecclesia Christi piè sic confitetur, magnificèque prædicat, Cant. VIII. 6. sic orans: **פֹּנֵה לִּי כַּחֲתָם עַל לִבִּי** sicut sigillum super cor tuum, & ut signaculum super brachium tuum (juxta promissionem Elaj. XLIX. 16. In manibus signavi te; muri tui sunt coram me semper) quia **עוֹה כְּמוֹת אֱהָבָה קָשָׁה כִּשְׂאוֹל קְנָאָה רִשְׁפִּיָּה רִשְׁפִּי אֵשׁ שְׁלֵהֲבֵתָהּ** invictus est ut mors amor (sicut morti, ita amor tuo nihil resistit) durus ut orcus zelus (non prævalebit orci zelus tuo, non inferni portæ tibi) scintilla ejus (zeli Christi) sunt sicut scintilla ignis, flamma Dei.

Præsentia
 & auxilii
 Divini di-
 versi modi
 explican-
 tur.

L V. Et præsentia quidem ac protectionis hujus Divinae diversi etiam modi sunt. Etenim primò ita Deus in persecutionibus protegit fideles, ut gliscentibus iis ne pilus quidem de capitibus ipsorum cadat, nisi quatenus & quando id gloriæ ipsius, & salutis ipsorum conducit, Matth. X. 28. &c. *Secundò* Deus iis donat **σοφία καὶ σθένος**

σοφία

Φίαν os & sapientiam, ut absque sollicita præmeditatione & confessionem Christi, & ejusdem solidam defensionem edant. Ita Christus promisit Apostolis Matth. X. 19. 20. *Cum verò tradiderint vos, μὴ μελεμήσητε, πῶς ἢ τί λαλήσητε, ne solliciti sitis, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in hora illa, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri est, qui in vobis loquitur, Luc. XII. 12. Spiritus S. docebit vos in hora illa, ὃ δὲ εἰπεῖν, quæ loqui oportet. Et cap. XXI. 15. 16. Θεὸς εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν, μὴ προμελετῆν ἀπολογισθῆναι. Fixum habete in cordibus vestris, non præmeditari defensionem. Ego enim dabo vobis os & Sapientiam, cui obloqui aut resistere omnes adversarii non poterunt. Planè sic ut Mosen cunctantem, & eloquii infirmitatem causantem Deus allocutus est his verbis Exod. IV. 11. 12. Quis posuit os in homine? vel quis ponit mutum, vel surdum, vel videntem, vel cæcum? Nonne ego Jehova. Nunc igitur vade, **וְאֵנִי אֶתְּנֶה עִם פִּי** & ego ero cum ore tuo, & docebo te, quid loquaris. Quibus verbis S. Cyprianus de Exhort. Mart. cap. 10. isthæc subjungit: *Nec difficile est Deo, aperire os hominis devoti sibi, & confessori suo inspirare constantiam & fiduciam loquendi, qui in Numeris adversus Balaam prophetam etiam asinam fecerit loqui. Evidentissimum hoc fuit tum in hominibus idiotis & illiteratis, qui stupenda sæpe responsa tyrannis perhibuerunt: tum infantibus & pueris, quorum exempla Celebr. Hottingerus Hist. Eccles. Tom. IX. p. 200. &c. attulit: tum denique in iis, qui etiam resectis linguis sub persecutione Vandalorum locuti sunt, de quibus Gregorius M. Dialog. lib. III. 33. & Justinianus Imperator l. I. Cod. tit. 27. de officio Præfecti Prætorio, videndi sunt. Recentiora etiam exempla Martyrologia nostra memorant, velut Stephani Mangini Meldis An. 1546. Gabrielis Beraudini Chamberiaci An. 1550. Iohannis Filieul & Juliani Leveille Sampetri in Gallia A. 1554. martyrio affectorum, resectis licet linguis ad stuporem loquentium. Tertio Deus constantiam & invictum robur, spiritumque adeò heroicum cum carnis infirmitate fortiter confligentem, eamque tandem superantem suppeditat, uti Apostolorum & innumerabilium S. Martyrum, in quorum infirmitate Deus potentiam suam consummavit, exemplis abundè constat. Inprimis autem documento sunt infirmiores, qui ante carceres & in ipsis carceribus, de Martyrio cogitantes, vel experimentum ejus capientes omnibus artibus contremuerunt, at post cœlesti robore induti mortem intrepidè sustinuerunt. Quomodo de Thoma Bilnæo Anglo Foxus pag. 124. refert, quòd pridie quam in pyram imponeretur, in carcere noctu ad lucernam**

H

cernam

cernam accedens digitum in flammam immiserit, experturus videlicet ardoris vim, quo pacto ferenda esset. Qui ad primum lucernæ tactum, carne reluctante, cum fortè retraxisset digitum, mox ille carnem suam castigans his verbis: *Quid! Unius membri inustionem ferre non potes, & quo pacto cras totius corporis conflagrationem tolerabis?* Simulque iterum in flammam digitum ustulandum præbuit, & pertulit. Hunc in modum facto sui periculo postridie, velut domita jam carne, tantò majorem ad flammam perferendam animum attulit. Memorabile in primis exemplum est nobilis matronæ, Dominae de Graveron, quæ Deum supplici prece rogans, ne se sibi infirmitatis propriæ consciam, & vix pulicis ictum, vel solis radium tolerare fueram, persecutoribus offerret; mox iis oblata ignis horribiles flammæ Lutetiæ A. 1558. animo hilari & fortissimo sustinuit. de qua Cl. Drelincourtium *Visit. XII.* ex traditione testantem videre licet. *Quartò* Deus largitur Spiritum precum, quas excitat cum suspiriis *ὡλαλή- τοις inenarrabilibus Spiritus S. Rom. VIII. 26. 27.* Ita Paulus & Silas *τὸ μεσονύκτιον προσευχόμενοι ὕμνον τὸν θεόν, media nocte precantes laudabant Deum, Act. V. 25.* Preces quoque fusas idem propitius exaudit juxta disertam promissionem *Psal. L. 15.* *Quintò* Deus potenter liberat, de quo paulò post fusiùs. *Sextò* Deus certam de mundo persecutoribus victoriam præstat. quod S. Martyrum, etiam sexu, ætate infirmorum, veluti mulierum & puerorum exemplis testatissimum est. *Omne ex Dei genitum νικᾷ τὸν κόσμον vincit mundum. Et hæc est victoria vincens mundum, fides nostra. 1. Joh. V. 4.* In omnibus illis *ὑπερνικῶ- μεν plus quam victores sumus per eum, qui nos dilexit, Rom. VIII. 37.* Nempe major est, qui in illis, quam qui in mundo est, *1. Joh. IV. 4.* Et Christus jam ante fidelium luctam mundum vicit. Ita Christus ipsemet testatur *Joh. XVI. 33.* *In mundo afflictionem habebitis. ἀλλὰ φοβεῖτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον. Sed confidite, ego mundum vici.* *Septimò* Deus gratiã suã ita passiones temperat, ut sentiant fideles *πειρασμὸν εἶναι ἀνθρώ- πινον, tentationem esse humanam, quæ humanas vires Divinitus suffultas sustentatasque non excedant, 1. Cor. X. 13.*

Illustratur
consolatio
dictis S. Pa-
trium;
Cypriani
ad Marty-
res.

LVI. Argumentum hoc consolatione dulcissima, si quod aliud, prægnans, sic S. Cyprianus *Exhort. ad Martyr. cap. 10.* premit: *Quare in persecutionibus nemo cogitet, quòd periculum Diabolus importet, sed imò consideret, quòd auxilium Deus præstet: nec mentem labefactet humana infestatio, sed corroboret fidem Divina protectio: quando unusquisque secundum Dominica promissa & fidei suæ merita tantum accipiat de Dei ope, quantum se cre-*
dat

dat accipere; nec sit quod omnipotens prestare non possit, nisi si accipientis fides caduca defecerit. Idem Thibaritanos Epist. LVI. sic alloquitur: Preliantes nos & fidei congressione pugnantem spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat & Christus. Quanta est gloria dignitas, quanta felicitas, presente Deo congregari, & Christo iudice coronari? Tertullianus lib. ad Martyr. perpulchré: Bonum agonem subituri estis, in quo Agonothetes Deus vivus est, Xystarches Spiritus S. corona eternitatis: brabeum Angelice substantie politia in Coelis: gloria in Secula Seculorum. Itaque Epistates vester Christus Jesus, qui vos Spiritu unxit, & ad scamna produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriores tractationem à libiore conditione seponere, ut vires corroborarentur in vobis.

Tertullianus
ni.

LVII. Post S. Patres Calvinus Epistolâ de Regem. ad fideles vincetos Lugduni Epistol. pag. 277. sic argumentum illud urget: Neque fieri potest, quin duri insultus excipiendi sint, ut in vobis experiamini, quod ita Dominus semel protulit: Ducent te, nempe quod non voles. Sed & illud succurrat, cujus nomine & virtute decertandum nobis sit, qui illi unquam innixi sunt, nunquam attonitos trepidasse, nedum ut jacuerit confusi. Confidite igitur, Fratres, vos ipsos, ubi ad extremum ventum erit, ipso etiam Domini Jesu Spiritu confirmatum iri, ut sub illo tentationum pondere, etiamsi virium vestrarum ad illud ratio nulla sit, non magis deficiatis, quam Christus ipse, qui tam insignem ex illis victoriam retulit, ut ipsa nobis certissimum triumphum per medias mortes capeffendi pignus & quasi vexillum sublatum extaret. Quare, si ita feret ipsius voluntas, ut ad mortem usque jus & causam ipsius propugnetis, manum illam auxiliarem porriget, ut strenuè ad extremum perstetis, neque vel minimam sanguinis vestri guttam vacuum & evanidam cadere in terram sinet. Et graviter idem aliis Martyribus inclusis Epistol. pag. 197. hunc in modum scribit: Si quid est in iis, quae piis Martyribus contingunt, quod nos omnium maxime percellat, acerbitas suppliciorum est, quibus illi exquisitissimis addicuntur. Et sanè terribilis quedam rerum facies illic existit, quae non satis constantes concutiat. Hoc verò ubi vel in oculos incurrit, vel in mentem venit, subeat & illa praesentissima cogitatio, de invicta illorum constantia, animique fortitudine, qua suos illos Dominus tum minime omnium destituere solet. Quicquid enim excogitent ocores veritatis, ut servos Dei de gradu dejiciant, illa Spiritus Dei virtus, quae ipsis inditur, omnem poenarum horrorem supervincit. Stet illic nempe Sathan armatus, seseque totum excutiat, ut fidelibus pudorem incutiat, ad defectionem cogat, à salute avertat, eò denique furiosa illa furoris sui instrumenta conferat, ac nullum crudelitatis genus intentatum relinquat. Atqui in mediis illis cruciatibus, quibus servi Dei secundum carnem excarnificantur, illa perpetua & constans nominis Christi confessio, quae in ipsis tum longè ardentior sese ostendit, aperte clamat, potentio-

Calvini ad
vincetos Lu-
gdunenses.

H 2

longè

longè esse, qui ita tum suos fulcit atque conservat, dum ex horribili illo congressu victrices tamen absumentis corporibus animas, cum invicto veritatis trophæo propugnatori cœlesti sistunt. Quid igitur? Illa nempe adversariorum immanitas, quæ vel ipsis freudentibus Martyrum constantiæ cedere cogitur, plus valebit ad nos dejiciendos, quàm ad excitandos virtus illa ex alto, qua Dominus in suis & luctatur, & vincit & triumphat? Et vos agnoscitis manum Domini pro suis sese exerentem, ut in illa non acquiescatis? Ac fides Martyrum in media morte caput attollat, ut mortis illorum occasio fidem extinguat vobis? Quare, dilectissimi fratres, dum suos illos furores in servos Dei tyranni despumant, vos ipsi mentis oculos ad intuendam Dei opem & auxilium intendite: ac cum magnos illos athletas ab ipso nunquam deserui compertum habueritis, colligite animum, & in lucta adversus carnem & sanguinem eousque progredi contendite, illamque vobis fiduciam comparate, ut beatos esse nos sentiat sive in vita, sive in morte, qui modo Christi sumus. Haftenus Calvinus.

Eusebii de
Martyribus
Gallis.

LVIII. Persecutione quondam gravissima in Gallis, regnante Vero, flagrante, Dei præsentiam & protectionem sic Eusebius Histor. Eccl. lib. V. 1. prædicat: Omni, inquit ille, virium impetu in nos irruit adversarius, adventus sui, in quo cum omni licentia grassaturus est, jam tum nobis initia ac primordia exhibens. Nihil quippe intentatum reliquit, &c. Ἀντιεργητῆρι δὲ ἡ χάρις τῆς Θεοῦ, καὶ τὰς μὲν ἀσθενεῖς ἐρῶν, ἀντιπαρέτασεν δὲ σὺλῃς ἐδραμῆς, δυναμένους ἀπὸ τῆς ὑπομονῆς, πᾶσι τὴν ὀρμὴν τῆς πανηρῆ εἰς ἑαυτὰς ἐλκύνει. Οἱ καὶ ὁμόσε ἐχώρην αὐτῶ, πᾶν εἶδος ὀνειδισμῶ καὶ ἠγλάσεως ἀνεχόμενοι. οἱ καὶ τὰ πολλὰ ὀλίγα ἠγύμενοι, ἕσπευον πρὸς Χριστόν. Sed gratia Dei pro nobis adversus Diabolum depugnavit: & infirmiores quidem servavit, viros autem illi opposuit columnarum instar firmos ac stabiles, qui fortitudine sua universum demonis impetum in semet ipsos pertrahere valerent. Hi ergo cominus congressi, omne genus opprobrii sustinuerunt: & quæ alii diuturna & gravia existimant, ipsi levia ducentes ad Christum ire properabant, exemplo suo ostendentes, non esse dignas passionibus hujus Seculi, quæ conferantur cum gloria, quæ in nobis revelanda est. De Blandina Martyra & ἀγωνιστρία planè

Blandina.

Heroica ibidem sic loquitur: Βλανδῖνα τῆς αὐτῆς ἐπληρώθη δυνάμει, ὡς ἐκλυθῆναι καὶ παρεθῆναι τὰς κατὰ διαδοχὰς παντὶ τρόπῳ βασανίζοντας αὐτὴν ἀπὸ ἐωθίνης ἕως ἑσπέρας, καὶ αὐτὰς ὁμολογῆσας ὅτι νενίκηται, μηδὲν ἔχοντες μηκέτι ὁ ποιήσασιν αὐτῇ. καὶ θαυμάζειν ὅτι τῷ ὀδυρμένῳ ἔμπνευ αὐτῆς, παντὸς τῆς σώματος διερῶγτος καὶ ἠνεωγμένους, καὶ μαρτυρεῖν, ὅτι ἐν εἶδος σφραγίσσεως ἱκανὸν ἦν πρὸς τὸ ἐξαγαγεῖν τὴν ψυχὴν ὡς ὅτι τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα. Tanto animi robore firmata est Blandina, ut tortores, qui invicem sibi succedentes à prima luce usque ad vesperam omni tormentorum genere eam

eam excruciauerant, resoluta nervorum compage deficeret; seque victos confessi, cum nullum tormenti genus, quod ipsi inferri posset, reliquum haberent, mirarentur adhuc illam Spiritum ducere, toto corpore lacerato atque perfosso; testarenturque, unicum tormenti genus ad illam enecandam suffecisse, nedum tot ac tanta tormenta. Verum Beata illa instar generosi alicujus athleta in ipsa confessione vires atque animos resumebat. De Romano Martyre idem de Martyr. Test. cap. 2. Romano, commemorata ejus in sustinendo ignis supplicio alacritate singulari, sic scribit: Ἡς ἀποκοπὴν ἀνδρείου ἔταξε ὑπομείνας, ἔργοις ἀπασιν ὑπέδειξεν, ὅτι δὴ θεία δύναμις τοῖς ὅτι ποτ' οὐν χαλεπὸν ὑπὲρ εὐσεβείας ὑπομένοντιν ἐπελαφείζουσα τῆς πόνου, καὶ τὴν περὶ θυμὸν ἰσχυρῶς παρῆλα. Quod supplicium cum fortissimè pertulisset, re ipsa omnibus declaravit; iis qui quemlibet cruciatum propietate sustinent, semper præsto adesse Divinam virtutem, quæ & dolores eorum imminuat, & animos ipsorum confirmet. Denique lib. VIII. 7. ubi agit de Ægyptiis in Phœnice passis, sic inter alia & Ægyptiis Martyribus. ille: Quæ cum gererentur, nos ipsi præsentem aderamus. ὁπνίκα ἔμαρτυρημένον Σωτήρος ἡμῶν αὐτῶν δὴ Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν θεῖαν δύναμιν ἰσχυρῶς ἐναργῶς περὶ αὐτὴν τοῖς μάρτυσιν ἠπιδεικνύσων ἰσχυρῶς μεν. Ubi & Divinam potentiam Servatoris nostri Jesu Christi, cui tunc Martyres testimonium perhibebant, præsentem, & se ipsam manifestè Martyribus exhibentem, perspeximus. Siquidem voracissima bestia longo temporis spatio nec attingere Sanctorum corpora, nec propius accedere sunt ausa, &c.

LIX. Sed Divinas nunc etiam S. Martyrum recentiorum de argumento hoc voces eruamus. Sic autem Hieromartyr Petrus Brullius, Calvini in Ecclesia Argentoratensi successor, ac post etiam Tornacum accitus, Martyrium mox subiturus amicis, uti Martyrol. lib. III. pag. 107. habetur, scripsit: Nihil horum omnium timemus, quia Jesus Christus nobis præsto est, qui nos impensissimè diligit, neque unquam deserturus nos est, nisi fidem ipsi datam ipsi fregerimus. Ipsius enim verba sunt: Non deseram te: non negligam te. Invoca me in angustiis, exaudiam te, & glorificabis me. Me implorat, juvabo ipsum. Nomen meum novit, ideo protegam ipsum. Præsto ipsi sum in angustiis, liberabo ipsum glorificaboque. Putamusne nisi præsentem Domini ope agonem istum nos subituros? Nullatenus certè. Hostes enim nostri nimis nobis prævalent, & vel unus ad perdendos nos penitus sufficeret. Diaboli quoque magna potentia est, juratissimi hostis nostri. Tamque potens est, ut primum parentem nostrum Adamum unico ictu subigere valuerit. Is quoque est, qui alios omnes incitat & prorit. Proin, fratres, ipsi resistamus oportet, una manu clypeum fidei, altera verbi Dei gladium prætendentes vibrantesque. Accedit hostis saevus mundus, cui caro secundas facit. Sed primo hoste profligato, de

Claudii
Monieri.

reliquis conclamatum est. Licet enim caro nobis molesta sit, Spiritui tamen se gubernandam, profligato prius Sathana, subicere cogitur. Efficacissimum hoc Christi Epistolæ auxilium sic Claudius Monier Martyrol. lib. IV. pag. 388. graphicè etiam depingit: Est sanè, ita ille, cur vigilemus sedulo, quia cum hostibus callidissimis nobis res est, quos inter haud postremus est, quem in sinu nostro ipsi gestamus. Verè Jobus dixit, vitam hominis militiam esse continuam. Certaminibus undique stipati sumus, neque ulla nobis nisi post mortem quies affulgebit. Illud verò crudele & periculosum certamen, cum quis contra se ipsum pugnat, sibi que aded hostis est pessimus. Si nos ipsos non miseramur, quis nos miserabitur tandem? Coelestis nempe ille Pater, plenus gratiæ & miserationum, si ita ipsi visum fuerit. Non desinit ille hostibus suis benefacere, & malo bonum rependere. Is gratiâ suâ nobis adspiret, ut & nostri & aliorum misereamur. Quamobrem, commilitones, adeste, ad agonem vos accingite. Certandum nobis est. Macte animo, macte animo, vos athleta. Ne vos timor occupet. Pro nobis non homines pugnant. Dux ille noster Jesus Christus hostes nostros vicit. Ejus proin victoria galea nostra contra hostes nostros erit. Sed ne clypei obliviscamur nostri, ut vera & viva fide tela hostium excutiamus. Ne manibus nostris excidat gladius anceps Spirituum. Vivum Dei Verbum, quod animam & Spiritum, cogitationes & pectus penetrat. Hic enim omnes hostes, priusquam eos attingit, contundit & fugat: atque ab eodem etiam Antichristus occidetur. Consonant illa Joh. Vernutii, quæ Martyrol. lib. VI. pag. 667. recitantur verba: Fortem habemus contra omnes tentationes clypeum, inexpugnabilem contra portas inferni arcem, cum Deus nobiscum fuerit. Etenim si Deus nobiscum, quis contra nos? Proin hostes nostros, eorum inprimis antesignanum Diabolum, despiciamus, usque insultamus, exemplum secuti Davidis, qui tanquam speculum nobis Psal. XVIII. XXIII. XXVII. CXVIII. proponitur.

Iohannis
Vernutii.

Georgii
Marshæi.

LX. Georgius Marshæus Hieromartyr Anglus Epistolâ ad amicos paræneticâ, quam Foxus Comment. pag. 437. exhibet, sic ejusdem Martyrii candidatos alloquitur: Libuit vos per literas hortari, ac majorem in modum in Christo flagitare, ut sicut accepistis Jesum Christum, in ipso ambulare velitis, radicati & superædificati in ipso: nec in ullo terreamini ab Adversariis quamlibet alioqui vel multis, vel potentibus: nosque è diverso, quamlibet & numero pauci, & viribus aspernabiles. Militia enim non vestra est, sed Domini. Qui, ut Abrahamo quondam, Mosi, Isaco, Davidi, Macchabæis, cæterisque saepe adsuit, cum adversariis conflitantibus: nec tutos solum, sed & victores adversus omnem vim hostilem præstitit: ita neque nos destituet promissio illius, qua fiet, ut (quemadmodum scriptum est) nullus poterit nobis resistere cunctis diebus vitæ nostræ. Sicut enim, inquit, cum Mose fui, ita ero tecum: non

non dimittam, nec derelinquam te. Confortare & esto robustus, noli metuere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, ad quaecunque perrexeris. Jam si Deus igitur nobiscum, quis contra nos? In spirituali hoc duello nemo vincit, nisi qui fugitivus castra sui deserit capitis, aut clypeum ignavus abjecerit, aut se ultro dedat hostibus, aut vecordi metu terga verterit. Sitis proinde, fratres mei, fortes per Christum, & in potentia virtutis ejus. Gothofredus Guerinus Mar-
 tyrol. lib. VII. pag. 905. sensum Divinae hujus praesentiae sic testificatur: Gothofre-
di Guerini.
 Nonne quotidie excelsam ejus opem & praesidium sentimus? Quando nos implorantes ipsum destituit? Nonne servos suos ipsum in angustiis suis in vota vocantes protexit? Nonne indies testimonia bonitatis ipsius erga electos in mediis tormentis & cruciatibus illorum cernimus? In anxietate plus quam infernali haerentes Dei nostri potentia non expediet? O immensam bonitatem! O ineffabilem Dei gratiam! Qui in te, Domine, confidit, non confunditur. Paucis etiam Divini auxilii fiduciam in extremo agone Annas Burgius lib. VII. Annae Bur-
gii. pag. 984. professus est, his verbis saepius ingeminatis: Ne me, mi Deus deseras, ne ego deseram Te!

LX. Christo etiam dormienti & auxilium procrastinanti, con-
 clamatisque propemodum rebus, inconcussa adhaerendum esse fi-
 duciam, sic Joh. Ludovicus Paschalis Martyrol. lib. VIII. pag. 1080. mo-
 net: Ne vos dubitatio quaedam cohibeat, quod minus ad Christum vestrum vos
 proripiat. Tamen si enim is dormienti quandoque, similem se gerit, adeoque pre-
 ces vestras non exauditurus putatur, atque inde res vestrae in ancipiti versari vi-
 dentur, certi tamen estote, opportuno tempore, evigilaturum ipsum, & mari flucti-
 busque imperaturum, ut deserviat tempestas, licet id vobis impossibile videatur.
 Hac enim ejus indoles est, ut tum maxime se commovere incipiat, cum deplora-
 rata omnia & humanitus conclamata sunt, ut cognoscant omnes, neutiquam ar-
 duum ipsi esse, quod impossibile hominibus videtur. Johannes Picus Torna-
 censis, adolescente adhuc aetate Martyrio defunctus, sic ad amicum,
 uti Martyrolog. lib. IX. pag. 1333. habetur, scribit: Dominus me consolatur
 & spiritu suo corroborat eo fortius, quod gravior est tentatio, qua mundus, caro
 & peccatum, praecipue Diabolus, rugientis leonis instar circumcursans, me percel-
 lunt. Nisi Deus vires victoriam reportandi sufficeret, actum de nobis esset. Sed
 conscius is infirmitatis nostrae promittit nobis, se & consolaturum & corroboratu-
 rum nos, ne labamur. Promittit non commissurum se, ut supra vires nostras
 rentemur, & exitum ejusmodi tentationi praestituit, ut ferendo simus. Idque eo
 magis etiam, docente Apostolo, quia ipse prius passus & tentatus succurrere illis,
 qui tentantur, potest. Eodem referenda illa S. Petri: Dominus novit pios ex ten-
 tatione eripere, & impios diei judicii torquendos servare. Proinde ejus bonitati &
 gratiae

Christo
conclama-
tis rebus
fidendum
esse, do-
cent

Ludovicus
Paschalis.

Johannes
Picus Tor-
nacensis.

Guy de
Bres,

gratia innitor, certa fiducia fretus, fore, ut me ab omni contumelia & afflictione liberet; quin eadem etiam lator & gloriar. Adamantinus ille Martyr Guy de Bres Martyrol. lib. IX. pag. 1433. Divini auxilii fiduciam hisce verbis testificatur: Non satis Domino est, quod tanta me amicitia dignatur: insuper in agone isto me jugiter consolatur. Christus Dominus meus in carcere meo mihi adstat, meque circumstat: Imò in vinculis meis ipsum videre mihi videor: interius fidei meae oculis in tenebroso hoc carcere ipsum conspicio, juxta promissionem verbi ipsius, quod mihi adfuturus sit usque ad finem. Testatus is quinetiam est, captivo servorum quopiam minimo, seipsum captivum teneri, &c. Neque etiam silentio prætereundus Senarius Jambus Megalomartyræ illius & Heroinæ Christi, Johannæ Grajæ, in carcere ab ipsa, Foxo Comment. pag. 238. teste, ita conceptus:

Johanna
Graja.

*Deo juvante nil juvat timor malus,
Et non juvante, nil juvat labor gravis.*

Præsentia
Divinæ
magnum
indicium
esse suppe-
ditatio-
nem spiri-
tus heroi-
ci, agno-
scunt S.
Martyres,

Claudius
Monier,

Petrus Scri-
ba.

LXI. Haud extremum Divinæ opis & præsentia in persecutionibus documentum præbet Spiritus fidelium, ita à Spiritu Dei armatus & animatus, ut carnis tanquam Spiritus perduellis tentationibus fortissimè resistat, tandemque gloriosè victor evadat. Ejus quoque rei sensum passim S. Martyres prodiderunt. Ita enim Claudius Monier Martyrol. lib. IV. p. 388. ad amicos scribit: Licet corpus meum captivum & quatuor muris circumclusum sit, Spiritus tamen meus in Domino letatur, hanc mihi dignationem habente, ut crucem ejus post ipsum feram. Oremus autem Dominum, ut quàm molesta & ingrata carni crux est, tam grata suavisque Spiritui evadat: & quàm non ita pridem illam horrui, tam nunc cordatè & intrepidè complectar. Ah! Fratres, si dulcedo sub cruce latitans gustu percipi posset, nemo eam aspernaretur, quin potius in tollenda & ferenda ea certarent omnes, multique aded Simonæ & Cyrenæi Christo in ferenda cruce suppetias laturi sese offerrent. Petrus Scriba in aureis suo & commilitonum nomine scriptis literis, quas non immeritò classicum belli hujus Sacri insigniveris, sic eadem de re Martyrol. lib. IV. pag. 416. scribit: Licet corpus nostrum in carcere conclusum & oppressulatum teneatur, Spiritus tamen meus liber est & solutus, plenus spiritualis gaudii & cælestis lætitiæ, virtute Spiritus S. hoc nos testimonio obsignantis, quod simus Filii Dei & fratres Domini nostri Jesu Christi, &c. Et pag. 427. Licet caro nostra tristetur & contremiscat, suspiraret & lachrymetur, imminentis horrendi supplicii intuitu: Spiritus tamen eidem beatam lætiamque resurrectionem ex mortuis, qua plenissimè illa renovabitur, æternæque gloriæ coronabitur, ante oculos statuit, &c.

LXII. Idem

Christo-
phorus
Schmi-
dius.

bus & potestate nostra jam illam haberemus. quam etiam eterna gloria haud dubie consequetur. Neque vos moveat, quod homines illiterati simplicesque videamini. Neque enim ad fraudes & sophismata hostium discutienda magna adeo sapientia opus est. Eodem modo verè Χριστός, seu Christus notis insignis ille Schmidius, Hieromartyr celeberrimus, Martyrol. lib. IX. pag. 1342. sacrum classicum canit: Cogitate vos in acie constitutos esse, & hostes vestros dirum durumque vobis agonem instruentes machinantisque vobis impendere. Sed & hoc noveritis, esse vobis ducem fortem magnanimumque, qui partium nostrarum est, & pro vobis depugnat, qui vobis & promisit & addixit victoriam plenam pulcherimamque in ipso, dicens: Bono animo estote, ego mundum vici. Atqui in promissionibus est veracissimus.

Consola-
tio X. à spe
liberatio-
nis gratio-
sa in hac
& cœlesti
vita.

LXIV. Decimo liberatio gloriosa fidelium persecutione presorum in hac & futura vita, patientiæ stimulum addit, simulque suavissimam consolationem præbet. Promissio ejus luculenta extat Psal. XCI. 14. 15. Quia amat me, ואפלטהו iccirco liberabo eum, exaltabo eum, quia nomen meum agnoscit. Invocabit me, & exaudiam eum, עמו אנכי בצרה אהלצהו Ero cum ipso in angustiis, & eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum saturabo eum, & videre faciam eum salutem meam. Sophon. III. 17. Jehova Deus tuus in medio tui גבור ישיע servabit te. Non enim est Homericus ille Jupiter, qui liberare non potest eos, qui ex ipso nati sunt, satis videlicet constrictus, uti Josephus lib. 2. contra Apionem observat. Quod etiam Nebucadnezar agnoscit Dan. III. 29. qui ante v. 15. blasphemè jaectabat, Deum non erepturum è manibus suis tres juvenes. S. Petrus 2. Ep. II. 9. Οἶδε κύριος ἐνσῆσαις ἐν πειρασμῶν εἴσεται. Novit Deus pios ex tentatione eripere. Ita S. Paulus liberationem prædicat, & liberationis futuræ spem profitetur 2. Cor. I. 10. Ὅς ἐν τηλικύτῃ θανάτῃ ἐρῆύσατο ἡμᾶς, καὶ εἴσεται. εἰς ὃν ἠλπίζαμεν, ὅτι καὶ ἐπιεῖσεται. Qui ex tanta morte liberavit nos, & liberat. In quem speravimus, quod adhuc liberaturus sit. Et 2. Tim. IV. 17. 18. Dominus mihi adstitit, & me corroboravit &c. Et liberatus sum ex ore leonis. Et liberabit me Dominus ab omni opere malo, & servabit ad Regnum suum cœleste. Liberationis hujus plurima testimonia Sacræ tabulæ continent, quorum partem etiam nonnullam Dissert. de Judiciis Sect. 19. excerptimus. Ad liberationem porro in hac vita referenda etiam est benedictio in bonis terrenis ante amissis, eorumque multiplicatio, juxta disertam promissionem Christi Matth. XIX. 28. 29. Quisquis reliquerit domus, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet.

LXV.

LXV. Liberationis gloriosæ in hac vita passim etiam exempla Sacra historia suppeditat. Quæ inter eminent illa populi Israëliti ex Ægypto potenter educti, Exod. III. &c. Davidis ex Saulis faucibus erepti 1. Sam. XXIV. XXVI. Eliæ 2. Reg. I. Elisæi ibid. cap. VI. trium sociorum Danielis Dan. III. & Danielis ipsius ibid. cap. VI. Christi Matth. II. Apostolorum Act. V. 9. Petri ibid. XII. Pauli & Silæ ibid. XVI. & 2. Tim. III. 11. IV. 17. 18. Sed & Ecclesiastica historia liberatorum in hac vita luculenta passim exempla præbet. Stupendæ liberationis fidelium complurium, quos Nannetensis Episcopus in urbe Croisil internecioni devoverat, exemplum *Martyrol. M. lib. VII. pag. 902. 903. commemorat. Foxus quoque rerum in Ecclesia gestarum Comment. pag. 635. de his, quos persecutione Mariana variis modis è manibus adversariorum atque è periculis Divina bonitas conservavit, dedit operæ fusæque agit. Memoratu dignum, quod ibi proponitur exemplum Elisabethæ Angliæ Reginae, his verbis: Quo in (liberatorum) numero, cum varii hic mihi producendi sint, patietur Serenissima Regina Elisabethæ Majestas se quoque in hoc albo, atque inter primos adnumerari. Quæ enim lux atque meridies tam clara, quàm in hujus incolumitate conservanda Christi opitulantis excelsa manus, & evidens providentiæ miraculum? Nam alioqui quid magis præter spem humanam, aut stupore plenius, quàm potuisse illam in tanta rectæ religionis pietatē, mentis constantia, in tanta temporum asperitate, inter tot adversariorum phalanges, quorum omnis serè vis atque insidiæ in illam, ceu arcus quidam intense videbantur, tamdiu consistere? Atque verò hanc ejus incolumitatem nulli magis rei acceptam nobis referendam arbitror, quàm morti Vintoniensis. Cujus Episcopi astutissimis funestissimisque consiliis vita si suppetisset longior, periculum erat, ne vita atque fortuna non tam hujus quàm Reip. Britannicæ in magno fuisset periculo constituta. Sed adest ac præest rebus Ecclesiæ suæ vigilans Divinæ providentiæ oculus, omnia temperans, fovens, moderans ac vivificans pro inscrutabili voluntatis suæ decreto: quo adversariis quasi injecto freno, minus interdum liceat, quàm malitiæ ipsorum libeat. Atque in hujus conservatione omnes spectamus miram atque presentem Christi opitulantis benignitatem. &c. Veteribus recentioribusque stupendæ liberationis Divinæ exemplis novissimum accedit, omnium nunc conspectui & ad seræ posteritatis memoriam expositum, quo Deus fideles servos complures horrendæ servituti mancipatos, & lenta diraque morte absumendos, è faucibus tyrannorum & tenebrosa valle umbræ mortis miraculosè eripuit, & cum æterno pudore hostium effecit, ut illi tanquam יהוה ילנא liberati Domini, al-*

Liberationis in præsentis vita exempla panduntur.

Elisabethæ Reginae Angliæ insignis exemplum.

rique Danieles & socii Danielis, Deo Sospitatori suo jugiter charisteria persolvant verbis Davidis, omniumque liberatorum, Psalm. CXXIV. 1. &c. *Nisi Jehova fuisset nobiscum, dicat nunc Israël: Nisi Jehova fuisset nobiscum, cum insurgerent adversum nos homines; vivos deglutissent nos, cum irasceretur furor eorum in nos. Tunc aqua inundasset nos: torrens pertransisset super animam nostram. Tunc transisset super animam nostram aqua illa superba. Benedictus Jehova, qui non dedit nos pradam dentibus eorum. anima nostra sicut avis evasit de laqueo aucupum. Laqueus contritus est, & nos evasimus. Auxilium nostrum est in nomine Jehova, qui fecit Caelum & terram. Et Psal. LXVI. 10. 11. 12. בַּחֲנֹתֵינוּ אֱלֹהִים צִרְפָּתָנוּ כִּצְרָה כֶּסֶף. Probasti nos, Deus, constasti nos sicut argentum constatur. Induxeras nos in rete, posueras angustiam in lumbis nostris. Imposueras hominem super caput nostrum. Ingressi eramus ignem & aquam, & eduxisti nos in irriguam. Sicut nempe faber in aurum oculos habet intentos, dum in igne est: ita Deus in fideles, cum in persecutionibus æstuant, ut eos, cum tempus est, & salus eorum requirit, inde eximat. Atque liberationis ejusmodi Ecclesiæ & fidelium in hac vita periclitantium fiducia piis animum addere solet. Meritoque laudata est sancta ἡ πίστις Bullingeri nostri confidentia, rebus in Gallia conclamatis sic ad Calvinum Epist. Calv. pag. III. scribentis: *Vivit, qui populum suum ex Aegypto liberavit. Vivit, qui captivitatem ex Babylone reduxit. Vivit, qui Cesaribus, Regibus ac Principibus profligatis Ecclesiam suam asseruit. Pergamus nos constanter docere Verbum Dei, predicare Evangelium Christi, & cum omnibus Sanctis oculos in Caelum attollere. Non deseret nos, qui dixit: Ero vobiscum usque ad consummationem Seculorum.**

Bullingeri
sancta con-
fidentia.

Circa libe-
rationem
tempora-
lem cau-
tio.

LXVI. Circa hanc tamen liberationem temporalem cautio hæc adhibenda, ne putetur omnibus illam vel promissam esse, vel obtingere in hac vita. Nam ferè miraculosa illa est, & paucis illam præstari, ad virtutem & potentiam Dei agnoscendam sufficit. Plures etiam occidi, & non gradum, sed saltum quandoq; ad meliorem vitam fieri, Divinæ gloriæ interest. Dispensatur igitur illa pro sapienti, paterna sanctaque voluntate Dei, cui se humiliter subjiciunt Martyres, dicentes cum sociis Danielis Dan. III. 17. 18. *Ecce, Deus noster, quem colimus, potest eruere nos de fornace ignis ardentis: & de manu tua, ô Rex, eruet. Quòd si non eruet, notum sit tibi, O Rex, quòd Deum tuum non adoramus, & statuam, quam erexisti, non colimus. Benedictio quoque in bonis terrestribus, eorundemque multipli-*
catio

catio intelligi debet cum conditione, tum liberæ voluntatis Dei, de salute nostra, quod optimum est, statuentis: tum castigationis & crucis, juxta diserta verba Christi Marc. X. 30. *Accipiet centuplum nunc in tempore hoc, domus, fratres, sorores, matres, liberos, agros, μετὰ διωγμῶν cum persecutionibus* (hoc est, non cessantibus interea, quandiu in mundo agitabunt, cruce & persecutionibus) & in futuro Seculo vitam æternam.

LXVII. Potissima autem certissimâque est liberatio patientium ex præsentî caduca, ærumnosa, & traductio ad æternam gloriosamque vitam. Cujus quidem liberationis certi etiam sunt gradus, ad gloriam felicitatēque Sanctorum Martyrum pertinentes. Primò enim animæ eorum, quæ occidi non potuerunt, Cœli recipientur sinibus, juxta Apoc. VII. 13. 14. 15. *Hi sunt venientes ex tribulatione magna. Propterea sunt in conspectu throni Dei, & seruiunt Deo dies noctesque in Templo suo. Et qui in throno sedet, habitabit super illos. Et Apoc. XIV. 13. Audivi vocem ex cœlo, dicentem mihi: Scribe. Beati sunt mortui in Domino, obdormientes à nunc. Etiam, dicit Spiritus, quia requiescent à laboribus suis. Et opera illorum post illos sequuntur.* Ignis S. Martyrum igneus ille currus est, quo Elias in cœlum raptus est. Sicut etiam Manoë Angelum vidit, sacrificiî sui flammâ in sublime avolantem: ita Martyrum animæ, myriadibus Angelorum comitatæ, in sacrificiî corporis ipsorum flamma in cœlum avolant. Secundò corpora quoque illorum in præsentî vita indignè adeò habita ad gloriam æternam resuscitabuntur. Qua re Jobus afflictus, & in corpore suo dira multa passus se consolatus est, Job. XIX. 25. 26. *Novi Redemptorem meum vivere, & novissimè super pulvere meo staturum. Et postquam pellem meam confixerint, ex carne mea videbo Deum. Quem ego visurus sum mihi, & oculi mei conspiciendi sunt, & non alius.* Et Martyr ille Macchabæus nequissimè illusus, extremumque spiritum ducens 2. Macchab. VII. 9. *Σὺ μὲν, Ἀλάστωρ, ἐμὲ τὸ παρόντος ἡμᾶς ζῆν ἀπιλεύεις. Ὁ δὲ τὸ ἕσπευ Βασιλεὺς ἀποθανόντας ἡμᾶς ὑπὲρ τῶν αὐτῶν νόμων, εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἡμᾶς εἰσαήσει.* Tu quidem, Alastor, in præsentiarum nos vivere prohibes. At Rex mundi nos pro legibus ejus morientes ad resurrectionem vitæ æternæ revocabit. Tertio Christus, pro cuius nomine passi sunt, ipsos amplo cum elogio in ultimo judicio confitebitur, Matth. X. 32. 33. & XXV. 34. &c. Quarto sequetur æterna felicitas in gaudio & gloria ineffabili: & secundum gradum quidem excellentior, quàm in

Liberatio
æterna,
ejusque
gradus.

aliis. Sic enim Christus discipulos suos alloquitur Matth. XIX. 28. Amen dico vobis, quod vos, qui me sequimini, in regeneratione, quando filius hominis in throno gloriae ejus sessurus est, sessuri & vos super duodecim thronos, & judicaturi duodecim tribus Israelis sitis. An, quod quibusdam videtur, cicatrices etiam, tanquam trophæa & monumenta victoriæ suæ retenturi sint, sicut Christus à resurrectione Joh. XX. 27. retinuisse dicitur, in medio relinquimus.

Consolatio illustratur dictis Cypriani.

LXVIII. Argumento hoc ad consolandos Martyres etiam S. Patres passim usi sunt. Cyprianus *Epist. LVI.* sic Thibaritanos Martyrii candidatos alloquitur: *Imitemur tres pueros, Ananiam, Azariam, Misabelem, qui nec aetate territi, nec captivitate fracti, Judæa devicta, & Hierosolymis captis, in ipso Regno suo Regem fidei virtute vicerunt, qui adorare statuam, quam Rex Nabuchodonosor fecerat, jussi, & minis Regis & flammis fortiores extiterunt, proclamantes, & fidem suam per hæc verba testantes: Nabuchodonosor Rex, non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus, cui nos servimus, potens nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, Rex, liberabit nos. Et si non, notum sit tibi, quia Diis tuis non servimus, & imaginem auream, quam statuisti, non adoramus. Credebant se illi secundum fidem posse evadere, sed addiderunt: Et si non, ut sciret Rex, illos propter Deum, quem colebant, & mori posse. Hoc est enim robur virtutis & fidei, credere & scire, quod Deus à morte presente liberare possit, & tamen mortem non timere, nec cedere, ut probari fides fortius possit.* Pertinent huc ejusdem Cypriani, nec non Origenis, Tertulliani, Augustini eandem in rem verba, superius Sect. XLVIII. XLIX. allegata.

Nec non S. Martyris, Petri Scriba.

LXIX. Passim quinetiam S. Martyres ἀμφιλαφῆς hocce solatium adhibuerunt, eoque se in extremis angustiis sustentârunt. Argumento sunt illa, quæ Sect. L. LI. &c. ex illorum emortualibus dictis deprompsimus. Pauca etiamnum addere lubet. Sic igitur Petrus Scriba, qui omnium instar heic nobis erit, *Martyrol. lib. IV. pag. 429.* ea de re loquitur: *Certum est, nihil de nobis Deum statuisse, nisi quod ad nominis ejus honorem, salutem nostram & Ecclesie emolumentum conduxerit. Si ipsi placitum fuerit nostra opera uti, licet misera & fragilia vasa, indigni & contempni, omniumque hominum ope destituti simus, poterit utique nos contra omnium hominum spem liberare. Ipse enim est, qui Josephum ex carcere, vinculis, omnibusque afflictionibus liberavit, & ad honoris fastigium evehit. Ipse est, qui commiseratione populi*

populi sui motus, suspiria ejus exaudivit, cum gravissima in Aegypto
servitute premeretur. Qui eundem prater omnem spem forti manu
eduxit, in terram sanctam perduxit, & Regem contra Pharaonem cum
ingenti ipsius exercitu in rubro mari perdidit. Iesus Christus aternus
ille Dei vivi filius is est, qui Reges, Principes, populos & gentes filiis
Israël in deserto adversantes, & in occupanda terra Canaan obstacula
figentes extirpavit. Ipse ille est, qui suspiria & questus populi sui ca-
ptivitate Babylonica exerciti exaudivit, & eundem nec opinante quo-
quam liberavit, & in liberatione illa horrenda judicia & vindictam
adversus hostes suos exeruit, ut filii Israëlis Sacrosanctum nomen ejus ce-
lebrarent, & populi omnes agnoscerent, quod Dominus Deus sit, qui mi-
racula magna in coelo & terra parat. Ipse ille est, qui servum suum Da-
videm ex immanis Goliathi, Saulis, aliorumque manibus asseruit. Do-
minus Iesus Christus dux noster contra spem omnium hominum tres vi-
ros ex fornace ignita, & Daniele ex fovea leonum sospitavit, similem
planè ob causam, ob quam & nos periculo expositos. Ipse ille est, qui
prophetam Ionam ex ventre ceti, ex quo tres dies & tres noctes ad ipsum
clamavit, eruit, & in magnam urbem Ninive ad predicandam pœni-
tentiam misit. Ex veteris ecclesie ad nova historiam, ut flectamus, Ec-
clesia Apostolica contra furorem & rabiem totius mundi conservata
est. Quis S. Petrum ex faucibus furibundi leonis, Herodis, in carce-
rem illum compingentis & exitio destinantis, liberavit? Quis S. Pau-
lum ex tot calamitatibus & mortis angustiis, ex periculis terrarum marique,
Judeorum gentiliūque tumultibus, ex pelago persecutionum eripuit,
nisi Deus ille, qui ipsius & fidelium omnium preces exaudivit. Quan-
obrem, fratres, cum in fovea leonum crudeliori, quam Danielis illa, ja-
ceamus, quotidieque operiamur supplicium atrocissimum, jugiter oremus
Deum plenum gratia & miserationum, instemusque apud illum, donec
preces nostra & suspiria Cœlum penetrent, precemurque, ut nos ex pote-
state hostium, fovea leonum & umbra mortis liberet, quò sanctum ipsius
nomen in medio populorum decantemus, ipsiusque immensam poten-
tiam & misericordiam, paternum amorem, & admiranda ac imperve-
stigabilia judicia ejus predicemus. Certi sic erimus, fore ut nos liberet,
siquidem ad honorem ipsius & salutem nostram pertinuerit. Si aliter
de nobis statuet, & sanguine nostro sancta ejus veritati omnino litandum
fuerit, agedum, fratres, Deo grates meritas persolvamus. Centies mil-
liésque ita beatiore erimus, quam si superstites in hac vita fuerimus.

Pro

Pro Christo mori, juxta S. Paulum, lucrum est, &c. Quæ sequuntur, Sect. LI. posuimus.

Consolatio XI. ab exemplis Christi & Sanctorum arcessita.

LXX. Undecimò νέφος μαρτύρων *nubes testium*, Christi Salvatoris nostri, ducis & consummatoris fidei nostræ unici, qui Ἀγὸ παθημάτων ἐτελειώθη *per passiones consummatus est*, Hebr. II. 10. totque Sanctorum, quorum ab hominibus numerus iniri nequit, patientiam fidelium, in persecutionum sevissimarum licet πρῶσι, mirificè acuerre & inflammare potis est. Et Christus quidem, *Filius hominis sacerdotibus & scribis traditus, morti adjudicatus, gentilibus ad illusionem, flagellationem & crucifixionem traditus est*, Matth. XX. 18. 19. tota etiam historia Evangelica teste. S; ita Joh. XV. 18. ipse loquitur, *mundus vos odit, noveritis, quòd me prius, quàm vos, oderit*. Unde S. Paulus Hebr. XIII. 13. 14. ita hortatur: *Exeamus ad ipsum extra castra, τὸν ὀνειδισμὸν αὐτῶν φέροντες, opprobrium ejus sustinentes*. Etenim primò Christus passus est persecutiones & mortem ipsam, ut caput, dux, Dominus, Præceptor noster. Convenit igitur, ut ipsi quoque persecutiones lubentes sustineamus, mortem adire ipsam non detractemus. *Non est enim discipulus super magistrum: nec servus super Dominum suum. Sufficit discipulo, si fuerit instar Magistri sui, & servo, si instar Domini. Patrem familiàs Beelzebub appellarunt, quantò magis domesticos ejus?* Matth. X. 24. 25. Et Joh. XV. 20. *Memores estote sermonis, quem vobis dixi. Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, vos quoque persequentur. Neque membrum deliciarum debet sub capite spinis coronato, uti olim S. Bernhardus inquebat. Quin potius nos Christo capiti nostro conformari decet, Rom. VIII. 17. 29. cognosceréque ipsum, & vim resurrectionis ejus, καὶ τὴν κενωσίαν τῶν παθημάτων αὐτῶν, συμμορφωμένως τῷ θανάτῳ αὐτῶν, & communionem passionum ejus, utque conformemur cum morte ejus, Phil. III. 10. 11. κενωθέντες τοῖς ἑξελισσόμενοι παθήμασι, communicantes cum Christi passionibus, 1. Pet. IV. 13. Secundò Christus etiam pro nobis ita passus est, ut relinqueret nobis ὑπογραμμὸν exemplar, ut vestigiis ejus insistamus, 1. Pet. II. 21. Quem proin tanquam ducem & consummatorem fidei nostræ, qui pro reposito sibi gaudio crucem pertulit, ignominiamque contempsit, ἀφοεῖσθαι respicere Hebr. XII. 2. jubemur. Terriò Christus passus est justus pro injustis, ut nos adduceret Deo, mortificatus carne, vivificatus spiritu, 1. Pet. III. 18. Ne ergo nos nocentes utique coram Deo, gratitudinis testificandæ ergo propter nomen Christi & testimonium ejus, quicquid ipsi*

ipsi imponere iuberit, æquo animo subire & perferre gravemur.
 Jam & Sanctorum τὰ ὑσερήματα τῶν θλίψεων ἔχεις ἀναπαληρέων
 τῶν reliquias afflictionum Christi vicissim supplementum uberima ubique
 seges. In V. T. Patriarcharum, Hebr. XI. 36. 37. 38. Prophetarum,
 Matth. V. 12. XXIII. 34. 35. Macchabæorum, 2. Macchab. VII. in No-
 vo Johannis Baptistæ, Matth. XI V. 3-11. Apostolorum, Act. IV. 5.
 totóque libro, Stephani, Act. VII. Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Act.
 VIII. totiúsque fraternitatis omnium fidelium 1. Pet. V. 9. sacram
 hancce militiam lacertis fortissimis sustinentium, exempla notissima
 occurrunt. Procedente tempore tum formata olim, tum nuper Re-
 formata

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine cœpit,

Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

Tantus enim S. Martyrum ἡ ὁσέγκλησ σιεύς κατὰ φρονεμένην testaceum
 suum vasculum spernentium, ut cum Origene loquar, numerus se
 sacra monumenta evolventibus offert, ut meritò, & hoc tempore
 magis etiam cum Gregorio M. Homil. 27. in Evang. in hæc verba
 erumpamus: *Totum mundum aspiciate. Martyribus plenus est. Jam*
pœne tot, qui videamus, non sumus, quot veritatis testes habemus. Deo
ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt, quia quanti sint,
à nobis comprehendì non possunt. Adeò nempe innumeri fideles, qui-
bus mundus dignus non erat, ut illos in medio sui haberet, & pro-
pter ipsos longanimitate Dei multisque bonis frueretur, tanquam
indigni qui inter homines viverent, veluti πελαγοδάρματα, περιψήμα-
τα, coacti sunt ab hominibus abire. Nostrum igitur est, durare etiam
in rebus asperis, non aut propriam flagitare fortunam, cum Christo
& tot S. Martyrum myriadibus meliores non simus: aut commu-
nem recusare. Et exempla ejusmodi solatium gaudiúmque nobis
afferre debere, Christus ipse Matth. V. 12. arguit his verbis: Gau-
dete & exultate &c. ἔγω γὰρ ἐδίωξαν τὰς δεσφίτας, τὰς δεθ' ὑμῶν. Sic
enim persecuti sunt prophetas, qui ante vos fuerunt. Et S. Petrus 1. Pet.
V. 9. Resistite (Diabolo) per fidem, scientes easdem passiones à ve-
stra, quæ in mundo est, fraternitate impleri.

LXXI. Christi porro fidelis Martyris & Sanctorum exempla
 crebrò S. Patres Martyrii candidatis inculcant. S. Cyprianus Episto-
 lâ LVI. ad Thibaritanos ita scribit: *Neque enim sic nomen militia de-*
dimus, ut pacem tantummodo cogitare, & detrectare & recusare mili-
tiã debeamus, quando in ipsa militia primus ambulaverit Dominus,

Christi
 exemplum
 illustratum
 dicto Cy-
 priani.

✠

humili-

humilitatis & tolerantia & passionis Magister, ut quod fieri docuit,
prior faceret, & quod pati hortatur, prior pro nobis ipse pateretur. Et
MOX: Imitemur, fraires dilectissimi, Abel justum, qui initiavit Mar-
tyria, dum propter justitiam primus occiditur. Imitemur Abraham
Dei amicum, qui non est cunctatus, ut filium victimam suis manibus
offerret, dum Deo fide devotionis obsequitur. Imitemur tres pueros,
Ananiam, Azariam & Misaelem, qui nec aetate territi, nec fracti capti-
vitate, Judaea devicta, & Hierosolymis captis in ipso Regno suo Regem
fidei virtute vicerunt, &c. Sic & Daniel, cum compelleretur adorare
idolum Bel, quem tunc populus & Rex colebat, in asserendum Dei sui
honorem plena fidei libertate prorupit, dicens: Nihil colo ego nisi Domi-
num Deum meum, qui condidit caelum & terram. Quid in Machabaeis
beatorum Martyrum gravia tormenta, & multiformes septem fratrum
paena, & confortans liberos suos mater in paenis, & moriens ipsa quoque
cum liberis? Nonne magna virtutis, & fidei documenta testantur, & nos
ad martyrii triumphum suis passionibus adhortantur? Quid propheta,
quos ad praesentiam futurorum Spiritus S. animavit? Quid Apostoli,
quos Dominus elegit? Nonne qui justis occiduntur propter justitiam, mo-
ri nos quoque docuerunt? Christi nativitas a Martyriis infantium sta-
tim coepit, ut ob nomen ejus a bimatu, & infra, qui fuerant, necarentur.
Aetas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam; ut appa-
reret, innocentes esse, qui propter Christum necantur, infantia innocens
ob nomen ejus occisa est. Ostensum est, neminem esse a periculo perse-
cutionis immunem, quando & tales martyria fecerunt. Quam ergo gra-
vis causa sit hominis Christiani, servum pati nolle, cum peccatum suum
proprium non habens mortuus sit ille pro nobis? Filius Dei passus est, ut
nos Filios Dei faceret, & filius hominis pati non vult, ut esse Dei Filius
perseveret? Si odio Seculi laboramus, odium Seculi sustinuit prior Chri-
stus. Si contumelias in hoc mundo, si fugam, si tormenta toleramus,
graviora expertus est mundi factor, & Dominus, qui & admonet dicens:
Si Seculum vos odit, mementote, quia me priorem vobis odit. Si de Sa-
culo essetis, Seculum quod suum esset, amaret. Sed quia de Seculo non
estis, & ego vos elegi de Seculo, propterea odit vos Seculum. Mementote
sermonis, quem dixi: Non est servus major Domino suo: si me persecuti
sunt, & vos persequentur. Dominus & Deus noster quicquid docuit
& fecit, ut discipulus excusatus esse non possit, qui discit & non facit.
Idem, seu Author libri de laude Martyrii pag. 298. Quid nobis (Chri-
stus) amplius potuisset largiri, pietate larga, quam ut in se primus osten-
deret,

deret, quid in aliis coronaret? Mortalis factus est, ut immortales esse posse-
mus: & humana sortis exitum pertulit, per quem reguntur omnia; ut
nobis videretur prastitisse, quod passus est; confessionem tribuit, martyria
subjecit, omnia denique, quibus lux supprimi posset, in remedium salutare
nativitatis sue meritis relegavit, humilitate precipua, virtute Divina.

LXXII. Machabæorum exemplum, heroicamque fortitu-
dinem collaudans, & imitandam exponens Origenes Exhortat. ad

Mart. pag. 182. &c. isthæc subjicit: Νομίζω δὲ καὶ ταῦτα χρησιμώτα-
τα, ὡς τὸ θεοκείμενον ὑπὸ τῆς γραφῆς καθ' ἑαυτὴν εἶναι, ἵνα ἴδω-
μεν, ὅσον δύναται καὶ τῶν τραχυτάτων πόνων καὶ τῶν βαρυτάτων βασάνων, εὐ-
σέβεια. καὶ τὸ ὡς θεὸν φίλτερον, παντὸς φίλτερον καὶ ὑπερβολὴν πλεονέκτου
δυνάμενον. Opinor autem, hæc utilissimè ad præsens institutum compen-
dio è Scriptura fuisse apposita; ut videamus, quantum contra asperimos
dolores & gravissimos cruciatus possit pietas, & amoris erga Deum il-
lesebra, omnia philtrea excellensimè superans. Polycarpus in sua

Sanctorum
exempla
delineata
dictis Ori-
genis;

ad Philipp. Epistola, Eusebio Histor. Eccles. lib. III. 36. teste; καθ' ἑαυ-
τὴν πάντα ὑμᾶς, πειθαρχεῖν καὶ ἀσχεῖν πάσῃ ὑπομονῇ, ἣν εἶδετε κατ' ὄφ-
θαλμὸν ἐν τοῖς μακαρίοις Ἰγνατίῳ καὶ Ρέφῳ καὶ Ζωσίμῳ, ἀλλὰ
καὶ ἐν ἄλλοις τοῖς ἐξ ὑμῶν. καὶ ἐν αὐτῷ Παύλῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις.
πεπεισμένοι, ὅτι ἔτοι πάντες οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον, ἀλλ' ἐν πίστει καὶ δι-
καιοσύνῃ. καὶ ὅτι εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ καθ' ἑαυτὴν κυρίῳ, ὃ καὶ
συνέπαθον. & γὰρ τὸν νῦν ἡγάπησαν αἰῶνα, ἀλλὰ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντα,
καὶ δι' ἡμᾶς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἀναστάντα. Obsecro vos omnes, ut pareatis Præpo-
sitis vestris, omnemque patientiam exerceatis, quam spectastis non so-
lùm in Ignatio, Rufo ac Zosimo viris beatissimis, sed etiam in aliis ci-
vibus atque inquilinis vestris: & in ipso præcipuè Paulo, cæterisque
Apostolis, pro certo habentes, quòd hi omnes non frustra cucurrerunt,
sed in fide ac justitia ingressi, ad locum sibi à Deo debitum pervenerunt,
quandoquidem & passionum ejus participes extiterant. Neque enim
præsens Seculum, sed eum, qui pro nobis passus & à Deo suscitatus est,
adamârunt.

Polycarpi.

LXXIII. Pauca etiam S. Martyrum eam in rem testimonia
nunc delibemus. Sic autem Petrus Brullius supra quoque laudatus

Martyrol. lib. III. pag. 304. argumenti hujus nervum explicat. Co-
gitate, Fratres, omni tempore, quid usu venerit servis Dei. Tum maxi-
mam lætitiæ causam habebitis, cum videbitis vos iis similes atque con-
formes, qui Deo purè castèque servientes, hujusmodi molestias vitæ &
arumnas perpeffi fuerunt. Testis certè est Jesus Christus, ante cujus A-

Eadem
consolatio
explicata
verbis S.
Martyrum,

Petri Brul-
lii.

postolos impij Prophetas persecuti fuerant, quemadmodum postea A.
 postolos sunt persecuti, & post eos Evangelistas ac pastores prima Ec-
 clesie Christianae: omnesque, qui à primis mundi temporibus usque ad
 hæc novissima integrè Deo inservire voluerunt, ab impijs hominibus huic
 mundo deditis afflicti & vexati fuerunt. Etiam in ipsa domo & fami-
 lia Patris nostri Abrahæ hujus conditionis specimen editum fuit. Nam
 is qui erat secundum carnem, filius ancillæ Agar, persequabatur eum,
 qui erat secundum Spiritum, filium liberae, Sara matris familiæ. Si qui
 infestantur & vexantur à fratribus ac proximis, cogitent, nihil ipsis ac-
 cidere, cujus exemplum in pijs ac sanctis hominibus, Deum metuenti-
 bus, non editum fuerit. Videant Abelum, probum filium, Deique ami-
 cum, à fratre Caino per invidiam interfectum. Divus Johannes in pri-
 ma sua Epistola ejus cædis factæ rationem adfert: Videbat, inquit, ope-
 ra sua mala esse, fratris verò bona: itaque invidiâ motus fratrem occi-
 dit, non aliam ob causam, nisi quod à vite impia ratione consuetudinè-
 que abhorrebat ac dissidebat. Qui talia patiuntur, memoriâ teneant,
 quæ Matth. X. & Luc. XII. à Domino nostro dicta sunt. Quod si quis
 à proprijs liberis aut uxore affliguntur, contemnuntur, iridentur, exem-
 plum Noë & Job sibi proponant. Videant Moysen & Aaronem à fami-
 lia Chore, Dathan & Abirom magnis injurijs contumelijsque affectos.
 Considerent Davidem, qui tamen fuit Rex: & intelligent eum à Sau-
 le, & à fratribus, atque etiam proprijs filiis ejectum, atque expulsum, ir-
 visum, eoque compulsum, ut in montibus locisque desertis vagaretur,
 atque probris omnibus à Simei afficeretur. Jam verò quid Elia usu ve-
 nit, ejusque successori Elisæo, Esajæ, Jeremie, Ezechieli, alijsque Pro-
 phetis? Itaque ob hanc causam Stephanus Judæis cædem omnium pio-
 rum ac fidelium servorum Dei exprobrat. Manasses verò nonne uno
 eodémque die eam cædem edidit, in qua Hierosolyma sanguine Pro-
 phetarum redundavit? Atque hoc quidem Christus Matth. XXI. iis-
 dem Judæis memorat & exprobrat, propositâ parabolâ ejus, qui opera-
 rijs vineam suam reliquerat: cujus servos necaverunt, tum ejus etiam
 filium.

Petri Scri-
 ba.

LXXIV. Exercitatissimus in Sacra hac palæstra pugil, Pe-
 trus Scriba Martyrol. lib. IV. pag. 418. sic eodem telo adversus
 metum mortis militat: Charissime mi Frater, fidelissimum Dominum
 nostrum Jesum Christum horribilem maledictâque causam nostram a-
 gere, tuerique, opprobria & contumelias pro nobis perpeti, duos inter
 latrones cruci affigi, iram & judicium Dei subire, in se suscipere, do-
 nec

nec extremas ad angustias redigeretur, vociferarique alta voce neces-
sum haberet: Deus mi, Deus mi, quare me deseruisti? non puduit. Et
nos causa ipsius, quae iusta & sancta est, innocentia, iustitia, passionisque
ejus, per quam salus mundo acquisita est, pigebit? Nos ipsum, Sanctos
ejus Prophetas & Apostolos imitari, viâ per tot pios sanctosque Mar-
tyres jam passa munitaque, abnuemus? Omnes illi atrocissima supplicia
ob honoris Divini veritatisque Evangelicae assertionem subiverunt, quò
ad aeternum gaudium gloriâque, qua nunc unâ cum Jesu Christo duce
suo unico, summa perfruentes laetitia potiuntur, peringere possent.

LXXV. Duodecimò tandem poenae hostium & persecutorum
omnium cum in hac, tum in futura vita; patientiam fidelium stimu-
lare debet, vel eam ob causam, quòd animadvertant certò, se Deo
Patri curae cordique esse, injuriam sibi factam graviter adeò exigen-
ti, severissimeque vindicanti. Gravissimas Dei comminationes per-
secutoribus factas passim S. Literae repraesentant, ex quibus non-
nullas Dissert. de Martyrio Ss. LXIV. nec non Dissert. de Judiciis Dei
Ss. XXII. &c. excerptimus. Gravis est comminatio Dei apud Esajam
cap. XV. 11. 12. *Ecce pudore afficientur & erubescant omnes, qui ira-
scuntur contra te: erunt וְיִנְדְּבוּ tanquam nihilum, & peribunt viri con-
tendentes tecum. Queres eos & non invenies eos, viros scilicet, qui con-
tendunt tecum: erunt tanquam nihil, וְיִנְדְּבוּ & tanquam nihil viri bel-
ligerantes tecum. Et Sophon. III. 19. *Ecce ego contusurus sum omnes
affligentes te. Luculenter inprimis Christus Salvator Luc. XVIII. 7.
8. Οὐδὲ Θεὸς ἔμὴ ποιήσει τὴν ἐνδίκην τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ, Deus au-
tem annon vindicabit electos suos ad ipsum clamantes die ac nocte,
etiamsi iram differat super ipsis? Dico vobis, ὅτι ποιήσει τὴν ἐνδίκην
αὐτῶν ἐν τάχει, vindicabit eos citò. Quòd si enim Deus fidelium suo-
rum lachrymas in utrem colligit, Psal. LVI. 9. certè sanguinem
eorundem innocentem ab hominibus nequiter fustum evanescere,
inultumque perire neutiquam sinet: talionisque jure justè tan-
dem ita defungitur, ut cum Adonibesek, impii omnes confiteri ne-
cessum habeant: Sicut ego feci aliis, ita mihi Deus rependit, Jud. I. 7.**

LXXVI. Et sanè persecutores & tyranni hujus Seculi non
tantum inexcusabiles reddantur per confessiones Martyrum, teste
Christo Luc. XXI. 12. 13. *Persequentur vos &c. Ἐποβήσεσθε δὲ ὑμῶν
ἐν μαρτύριον, haec autem vobis cedent testimonio, hoc est, is erit rerum
istarum exitus, ut coram Deo & hominibus testata sit hostium ve-
strorum perfidia, vestraque constantia: sed etiam iis ipsae persecu-*

Consola-
tio XII.
à poenis
persecuto-
rum pro-
ponitur.

Et illustra-
tur,

tiones sunt exitii sui tum temporalis tum æterni indubitabile in-
 dicium, juxta illa S. Pauli Phil. I. 28. Μη πνρόμενοι εν μηδενί από τών
 άνπκειμένων. ήλις αυτοίς μέν είν ενδειξις άπωλείας, ήμίν δέ σωτηρίας, και
 τούτο από Θεού. *Nulla in re terreamini ab iis, qui se opponunt, quod
 illis quidem indicium exitii, vobis autem salutis, & hoc à Deo. Rectè
 igitur apud S. Basilium Homil. in Gord. pag. 523. Martyr Gordius
 sic sorti suæ illachrymantes alloquitur. Μη κλαίετε επ' έμοι, αλλά κλαύ-
 σκετε επ' τής θεομάχης, τής τών τοιαύτων τολμώντων ή τών ευσεβώντων. τής
 άπό τής φλογός τούτης, ής και ήμών καιέσιν, έαυτοίς τής γεννης τόν πυρ
 θησκυρίζοντας. Nolite flere super me, sed flete super Dei inimicos, qui
 in Christianos continuo grassantur. Ipsos, inquam, flete, qui ignem no-
 bis parat, sibimet gehenne incendia, iramque in die ira thesaurizan-
 tes.*

Exempla
 judiciorum
 Dei adver-
 sus perfe-
 cutores,

LXXVII. Exempla judiciorum Dei adversus persecutores
 & vindicis oculi ejusdem in hac etiam vita passim Sacra & Eccle-
 siastica historiarum monumenta illustria suppeditant. ex quibus
 nonnulla *Dissert. de Martyrio Sect. LXV.* deprompsimus. Pauca
 etiamnum addere lubet. Eusebius *Histor. Eccles. lib. IX. 9.* tyran-
 norum & persecutorum interitum fuse describit. Inter alia de fu-
 ria illa generis humani Maxentio sic ille : "ωππερ επ' αλτ' Μουσεώς
 και ή πάλαι θεοσεβής Εβραίων γενής, άρματα Φαραώ και την δύναμιν
 αλτ' έρριψεν εις θάλασσαν. επηλέντης αναβάτας τρισάτας κατεπόνησεν εν
 θαλάσση έρυθρα. πάντω έκαλύψεν αυτής. ή τών αυτών δή και Μαξέντιος, ό
 τε άμφ' αυτόν όπλίτα, και δορυφόροι, έδυσαν εις βυθόν ώσει λίθος. όπηνίκα
 νώτα δ' εις τή εν Θεού μη Κωνσταντίνης δυνάμει, τόν θεόν τής πορείας διήει πο-
 ταμόν. όν αυτός σπάφει ζεύξας εύ και εύ μάλαγε Φυρώσας μηχανήν άλέθρη
 και ή έαυτ' συνεσήσατο. έφ' ω ήν άν έπειν. Λάκκον ώρυξε, και ανέσκαψεν αυ-
 τόν, και έμπεισείται εις βόθρον, όν έργάσατο. επησρέψει ό πόνος αλτ' εις κε-
 φαλήν αλτ'. και επ' ηερυφήν αλτ' ή άδικία αλτ' καταβήσειαι. Ταύτη
 δ' ήτα ή επ' ή ποταμ' ζεύγματος άγαλυθέντας. υφιζάνει μέν ή άβ' βασις.
 χωρεί δ' άθρόως άντανδρα ή ή βυθ' τών σπάφει και αυτόςγε πηώτος ό
 δυασεβέσατος. είτα δέ και όι άμφ' αυτόν έπαπισαι, ή τών θεών θεοαναφω-
 νεί λόγια, έδυσαν ώσει μόλυβδος εν ύδατι σφοδρ'ώ. *Quemadmodum Mo-
 sis ac religiosa quondam gentis Hebraorum temporibus Deus curvus &
 exercitum Pharaonis projecit in mare, locatissimos milites ternos ex
 curru pugnantes submersit in mari rubro & fluctibus operuit: sic planè
 Maxentius & quicunque circa illum erant milites ac stipatores, instar
 lapidis in altissimum gurgitem ceciderunt: tum videlicet cum Divi-*
 na

*na virtute Constantini partibus auxiliante in fugam versus, fluvium sibi obiectum pertransiret: in quo ponte ex scaphis contabulato, ipse machinam quandam ad sui ipsius perniciem construxerat. Proinde & hoc dici merito potuit: Scrobem aperuit atque effodit, & in foveam, quam fecit, ipse incidet. Convertetur labor ejus in proprium caput, & in verticem ipsius injustitia ejus recidet. In hunc igitur modum soluta pontis compage, transitus quidem subsidere cœpit; navigia verò simul cum ipsis hominibus repente pessumière, primusque omnium scelestissimus ille tyrannus, ac deinde cuncti, quos circa se habebat, corporis custodes, sicut Divina prædixerunt oracula, instar plumbeæ massæ in altissimum gurgitem delapsi sunt. Tragicum quinetiam Maximini, ejusque furoris satellitum, Picentii, Culciani, Theoteoni, nec non liberorum ejusdem & propinquorum exitum idem deinceps cap. X. & XI. fusè graphicèque depingit. De Licinii quoque & asseclarum persecutiones adversus Christianos sævissimas machinantium, at à Constantino M. prius quam in nervum insidiæ erumperent, profligatorum, fatali interitu sic idem Eusebius *Histor. Eccles. lib. X. cap. IX.* scribit: Αθρόως δὴ τὰ καὶ λόγῳ θάπτον, οἱ μὲν χθὲς καὶ πρὸ ἡμέρας θανάτῳ πνέοντες καὶ ἀπειλῆς, ἔκείτ' ἦσαν ἔδὲ μέγχις ὀνόματος μνημονευόμενοι. χραφαὶ τε αὐτῶν καὶ ἡμαί τὴν ἀξίαν ἀιχρύνην ἀπελάμβανον. Ἐ ἀ τοῖς πάλαι δυοσεβέσι τυράννοις ἐπέιδεν αὐτοῖς ὁ Φθάλμοις Δικίννιος, τῶντα ὁμοίως ἔ αὐτὸς ἔπαχε. Repente ergo & dicto citius hi quidem, qui heri ac nudius tertius cœdes ac minas anhelabant, perierunt funditus: ac ne nominis quidem eorum memoria permansit. Imagines quoque eorum & reliqua monumenta congrua ignominia labe aspersit. Et quæ impiis olim tyrannis Licinius ipse suis oculis contingere viderat, eadem quoque simili modo perpeffus est. Nostra quoque Martyrologia exemplis judiciorum Dei adversus persecutores referta sunt. Cui lubet, inspicat licet Martyrologii M. narrationem vindictæ Divinæ adversus Wolphgangi Schuchi Evangelici præconis, Martyris fortissimi, judices, Commendatorem Antonii Viennensis & Abbatis Cœnobii Clariloci *lib. II. pag. 184.* adversus immanes illas tigrides, Johannem Menier aliósque persecutores Ecclesiarum Merindolæ & Cabrieræ *lib. IV. pag. 370.* scelestum inprimis Monachum illum Johannem de Roma, hominem ad sævitiam & crudelitatem naturâ atque disciplinâ implicatum, inauditi tormenti, cui Merindolenses subjecti sunt, authorem, horrenda morte, uti Johannes Crispinus apud Pantal. *pag. 112.* narrat, extinctum: adversus Johannem Martinum Trombaldum*

dum, Pedemontanorum Ministrorum lupum infestissimum, lupi namque admordentis violentiam in rabiem lethalem actum, cum prius se Evangelii Ministris nasos admorsurum comminaretur, *lib. VII. pag. 844.* Ducem Guisium, Conestablium, Poncherum Archiepiscopum Tourensem caelesti fulmine ictum, Castellanium, Cancellarium de Pruto, Johannem Ruse, cui vivicomburia suadenti stomachus igni succensus est: Claudium de Asses, Petrum Liserum, Johannem Morinum Senatores Parisienses, aliosve *lib. VII. p. 869. &c.* alios persecutores Parisienses *lib. VII. pag. 914. &c.* Henricum II. Regem Galliae *ibid. pag. 959.* Laubespini Parlamenti Gratianopolitani asecclam, du Bourrel seu Ponsenatem Advocatum Regium, aliosque *lib. VII. pag. 1037. &c.* Franciscum II. Galliae Regem *lib. VIII. pag. 1093.* Duces Guisios, nefariae conjurationis capita, & Catharinam de Medicis, *lib. XI. pag. 1603.* Exempla etiam Divinae vindictae in Martyrologio Bohemico luculenta extant: velut adversus Drahomiram, Bohemorum Christianorum Jezabelem, quam eo loco, quo insepulta Sacerdotum ab illa interfectorum ossa jacebant, terra sua sponte dehiscens vivam, unam cum curru & iis, qui simul vehebantur, absorpsit; aliosque tyrannidis illius adjuutores *cap. III.* Albertum Baronem de Kolovrat Cancellarium & complices multos *cap. XXV.* denique persecutores novissimos, qui Evangelii facem in Bohemia accensam extinguere conati, haereditatem Domini diripuerunt, *cap. CVII.*

Malae eorundem conscientiae infernales furiae.

LXXVIII. Ad judicia Dei adversus persecutores in hac vita, pertinent imprimis ignita furiarum infernalium tela, ita tyrannorum conscientiam excruciantia, ut, si recludantur eorum mentes, possint aspici laniatus & ictus, quando ut corpora verberibus, ita savitia, libidine, malis consultis animus dilaceratur, adeo ut facinora atque flagitia sua ipsis quoque in supplicium vertant, ut Taciti *Annal. VI. 6:2.* verbis utar. Et conscientiae suae angores terroresque Panicos haud raro etiam persecutores *Μαρτυροκτόνοι*, supplicia piis irrogantes, laetantibus interea iis, qui Martyria subibant, nec obscure prodiderunt. Eusebius certe *Histor. Eccl. lib. VI. 42.* de Martyribus Alexandrinis, eorumque iudicibus ita loquitur: *ὡς τὸν τε ἡγεμόνα & τὰς συνέδρους ἐμφοβῆς γενέσθαι. & τὰς μὲν κραινομένους εὐδαρσεσάτους, ἐφ' οἷς πείσονται φαίνεσθαι, τὰς δὲ δικάζοντας ἀποδειλιῶν.* Quo facto (Martyrum videlicet militum manipulo ultro ad supplicia accurrente.) *Praefectus & Assessores, qui in consilio aderant, metu perterriti sunt.* Es

Et qui judicabantur, ipsi ad ea, qua perpeffuri erant, promptiffimi & confidentiffi-
 mi cernebantur. Judices autem ipsi contremifcebant. Martyram Julittam
 S. Basilius Homil. in Mart. Julitt. Tom. I. pag. 367. vehementer prædicat,
 tanquam τοσῆτον αὐτῆς τῶν φοβερῶν καὶ γελῶσιν, ὅσον αὐτὸς δευσεδόκω
 τοῖς αὐτοῖς αὐτὴν ὑποπλήξειν adversarii terriculamenta tantò eludentem ma-
 gis, risùque profequentem, quantò magis ille sperabat se eam iisdem perterre-
 facturam. De Officiali Lugdunensi Primatio à Petro Scriba gra-
 viter admonito, ut judicaturus se κείσιν δικαίων iudicium justum ex-
 erceret, sic idem Petrus Scriba ad Amicos Martyrol. lib. IV. pag. 426.
 scripsit: Cùm hæc à me ei maximo animi studio & summa Spiritus vi dice-
 rentur, homo miser attonitus atque perterritus incedebat, ut nullum ver-
 bum loqui posset. Non erat illi eadem facies ac vultus lætus & compositus,
 quo me antea interrogare consueverat, sed tristis & pallidus, index summe
 perturbationis, planè nullo loco consistere ut potuerit. Cùm ei proponerem judi-
 cium Dei, nihil omnino loquebatur, nec tamen à me digredi poterat. Interea Do-
 minus in caput ejus fulminabat: mihi verò summam in loquendo libertatem con-
 cedebat. Ac cùm diu postea locutus esset, ad postremum discedens dixit, verbum
 Dei quidem tuendum esse. De altera Officiali Lugdunensis Archiepisco-
 pi Vicario idem mox subjicit: Post quam nos condemnasset, domum ma-
 ximo cum tremore ac terrore reversus est: ita ut cùm de provocatione nostra lo-
 queretur, in summa animi perturbatione atque angore versaretur. Rex Gallie
 Henricus II. Martyris constantiffimi sartoris confessionem cum stu-
 pore cùm audivisset, ejusdem supplicii post, experturus, an ad
 extremum vitæ spiritum in ea perstiturus esset, spectator esse vo-
 luit. Ita autem Sartoris in ipso igne in Regem oculos inconnivos
 defigentis spectaculo territus est, ut identidem post animi sui an-
 xietatem summam proderet, fatereturque crebrò, Sartorem illum in-
 terdiu se insequi, & noctu ante oculos suos consistere sibi videri. de quo Mar-
 tyrol. lib. I. pag. 377. & Comment. Rerum in Ecclesia gestarum lib. VII. p. 186.
 legi possunt. Annæ Burgii Megalomartyris ad supplicium ducti in-
 credibilis lætitia, & hostium ipsum condemnantium lachrymæ non
 sine stupore Martyrol. lib. VII. pag. 983. leguntur. Sic autem ille judi-
 cibus hostibusque suis insultare non dubitavit: Quosdam vestrum la-
 chrymari video. Ecquid verò lachrymamini? Abundè sic ἀπευδρωπίζω &
 immanem crudelitatem vestram proditis, qui in Papæ aliorumque gratiam ho-
 minem, cujus nunc commiseratione, certo malæ conscientie argumento, tangi-
 mini, condemnaveritis. Quin Dei iudicium, quod haud evitabitis, formi-
 date. Vos lachrymamini: & condemnati à vobis latantur, mortemque vitam
 suam

suam arbitrantur, in mediis etiam flammis. Non illi vestram crudelitatem metuunt: non vestras injurias timent, gnari probè, mortem sibi honorificam saluberrimamque fore. Sic in vobis impletur Proverbium: Victor moritur, & victus lacrymatur. De Petro Dentier Regio Ministro Martyrolog. lib. VIII. pag. 1209. scribitur, quòd Franciscum Varlut & Alexandrum Dayken condemnaturus, moesto vultu fassus sit, quòd totam noctem eorum causam insomnem traducat, & plus de ipsorum morte, quàm ipsimet condemnandi, sollicitus sit: imò proprii sanguinis non modicam partem depensurus esset, dummodo iis judicandis abstinere posset. Idem Franciscus Varlut ibid. pag. 1208. hostium malam conscientiam sic detegit: Videmus, plures hostium nostrorum longè nobis timidiores & trepidiores esse. Conscientia enim illos intus angit & torquet, quia Deum sibi ob injustitiam & tyrannidem insensum esse sentiunt. Nos verò lato hilarique animo sumus, &c.

Petri Scriba de eadem re dictum.

LXXIX. Sæpe collaudatus, omnique laude major Calinicus, Petrus Scriba Martyrol. lib. IV. pag. 429. sic Dei erga persecutores judicium depingit: Bibendum nobis omnibus, ita ille, ex calice, quem manu sua Dominus tenet: atque sic imitandus nobis Dominus & Salvator noster Jesus Christus. Bono igitur animo simus, & propinanti ipsi promptè respondeamus. Ipse enim loco nostro venenum & fel epotavit. Ast impii & reprobi inviti, magnisque ingratis suis fœces haurire ad interitum usque suum debent. Furor enim & indignatio Dei iis propinata est. Judicium à domo Dei incipere debet. Quòd si nobis non parcitur, quis exitus eorum erit, qui Evangelio non credunt, quiniò illud probis incessunt, ignique & gladio persequuntur? Et si difficulter servatur justus, quid infidelibus & impiis fiet? Si S. Prophetis, Apostolis, imò Filio suo unigenito Jesu Christo Deus non pepercit, quomodo immanibus, durissimis & execrabilibus hostibus suis parceret? Accirco justum apud Deum est, afflictionem rependere persecutoribus nostris, nobis verò persecutionem sustinentibus quietem & solatium, magno illo die iræ & vindictæ, quo Dominus noster Jesus Christus magna cum virtute & gloria, sanctis cum Angelis, tanquam ignitis ante ipsum flammis venturus, & vindictam de omnibus illis, qui Deum non diligunt, & S. Evangelio ejus non obediunt, in aeterna damnatione cum cruciatu immenso versaturis, & à facie ejus prorsus rejeclis, expetiturus est. Hæc merces erit impiorum hostium Dei, qui nunc quidem Ecclesiam atrociter adeò persequuntur. Hic exitus erit adversariorum nostrorum, hodie magna cum vi & insania cum Deo & Ecclesia ejus belligerantium. Proin, fratres dilecti, ne lugeamus, externam eorum prosperitatem, divitias, dignitatem & pompam cum spectamus. Omnia quippe hæc umbræ adinstar evanescent, & venti adinstar dissipabuntur. Omnis honor & divitiæ, omnis forma, robur & potentia hominis similis est flori, qui solis ardore ap-
perit

petitus marcescit & perit. Nos verò Filii Dei licet hoc in mundo persecutionibus exponamur, & tanquam abominatio stercusque totius mundi abjiciamur, aeterno tamen gaudio, vita & gloria, caducis corporibus nostris, quæ nunc in mundo tanta ignominia afficiuntur, glorioso corpori Christi conformatis, & apud Deum habitaturis, eumque à facie ad faciem visuris, potiemur.

LXXX. Atque hæ præcipuæ sunt consolationes ex Dei Verbo depromptæ, & tum S. Patrum ac recentiorum, pios Martyres scriptis *θεοτεπεικούς* & *θεοπροβουλεύσεις* ad propositam agonem animantium, tum ipsorum S. Martyrum verbis tantum non *θεοτεπεικούς* illustratæ. Quæ tamen ipsæ nullum utique pondus habere possunt, nisi vera vivaque fide charitatem Dei & proximi infucatam & spem vividam procreante apprehensæ. Pauca igitur de Fidei salvificæ in consolatione hominis afflicti munere, charitatis solatio, & spei in re eadem officio delibemus oportet.

LXXXI. Quantum igitur ad afflictos & persecutionibus pressos consolatione viva solidaque erigendos momentum habeat fides, Apostolus toto capite undecimo ad Hebræos luculenter docet. Ostendit quippe, eximios Dei servos non tantum per fidem multa præclare egisse, sed etiam ingentes afflictionum agones sustinuisse, ac per eandem testimonium obtinuisse. *Per fidem* (ita loquitur v. 35. 36. &c.) *distenti sunt, non admissa redemptione, ut meliori resurrectione potirentur*, (velut Eleazarus per fiduculas distentus 2. Macchab. VI. 19. 28. 30. qui simulatione esus porcinae carnis *εἰς ἰωλοθύτης* vitam cum redimere posset, fide tamen in Christum, & ut in resurrectione staret in cœtu justorum, in sorte bona, redimere dignatus non est,) *alii ludibria atque verbera experti sunt*, (Jeremias) *atque insuper vincula & carceres* (idem Jeremias & Michæas) *lapidati sunt* (Zacharias filius Jojadæ) *secti sunt* (Esajas) *tentati* (omnibus hisce puta & aliis modis exercita & tentata eorum fide) *in occisione gladii mortui sunt*, *circueverunt in melotis, in caprinis pellibus* (Elias) *egeni, vexati, afflicti*. Quibus non erat dignus mundus, in solitudinibus errantes montibus & speluncis & cavernis terra. Atque idem etiam S. Paulus Ephes. VI. 16. in spirituali hacce pugna ante omnia jubet apprehendere τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως scutum fidei, quo muniti fideles possint πάντα τὰ βέλη τῆς πονηρῆς τοῦ πεπρωμένου σβέσει, omnia ignita nequissimi illius tela extinguere.

LXXXII. Quomodo autem salvifica fides consolationi afflictorum serviat, satis liquet. Intuetur nempe Dei tum naturam, tum verba, tum facta: quid lugenti facto opus sit, discit, subindèque

repetit atque præscribit. Dei naturam quoties perpendit fides, ejusmodi consolationem illa suggerit promptissime: *Cur tristis es anima & cur tumultuaris? Deus tuus misericors est & clemens Jehova: tardus ira & multus bonitate. Non in perpetuum rixari suetus, nec in Seculum iram custodire. Non secundum peccata nostra facit nobis. Sicut misericors est Pater erga filios: ita misericors est Jehova erga timentes se, Psal. CIII. 8. &c. Decretum Dei de servando te non est παλιμάρετον. Quippe Deus tuus non mutatur Malach. III. 6. Omnipotens Deus est, proin non patietur te tentari supra id, quod ferre potes, 1. Cor. X. 13. Jesus Christus redemptor tuus verax est, omnipotens, tui, ut fratris & cohæredis, amantissimus.*

Tum ejusdem verbum.

LXXXIII. Dei verbum quoties intuetur fides, acquiescit in dulcissimis ejus promissionibus de mitigatione malorum, de liberatione ab omni malo, de hæreditatis & gloriæ cœlestis ineffabilis consecutione. Toti igitur Ecclesiæ in persecutionibus æstuanti fides hæc & similia inculcat: *Dixit autem Sion: Dereliquit me Jehova, & Dominus oblitus est mei. Numquid obliviscetur mulier infantis sui, ita ut non misereatur filii uteri sui? Etiam istæ obliviscuntur. Sed ego non obliviscar tui. Ecce in manibus descripsi te, muri tui coram me sunt semper, Esaj. XLIX. 14. &c. Singulis autem fidelibus fides promissiones ejusmodi Divinas inculcat: *Non deseram te, neque derelinquam te, Jos. I. 6. cujusmodi multas supra ss. LIV. posuimus. Ex quibus tanquam ηθεμενοίς & præmissis confidenti animo fides assumit & concludit: Dominus mihi auxiliator, non timebo, quid faciat mihi homo, Psal. LVI. 5. 12. Hebr. XIII. 6. Projice super Jehovam curam tuam, & ipse sustentabit te. Non dabit in Seculum ומו קדקד nutationem justo, Psal. LV. 23.**

Tum facta & opera.

LXXXIV. Dei facta & opera cum intuetur fides, copiosissimas suavissimâsque etiam illinc consolationes haurit. Etenim fide animadvertimus juxta atque lætamur, tum omnia, nosque ipsos à Deo & conditos esse, & conservari ejusdem potentia & gratia, adeo ut sine ejus propitio nutu ne pilus quidem de capitibus nostris fluere possit: tum missum esse in hunc mundum & datum nobis à Deo Patre Jesum Christum, ut sit nobis sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio; proin cum in ipso electi, vocati & justificati simus, & de plenitudine ejus in nos redundant omnis generis bona spiritualia, eaque ἀναφαιρέτα, ob jacturam terrestrium bonorum vitæque temporalis haud nos affici & contabescere debere: tum denique Spiritum S. Paraclerum nobis donatum esse, ut ab eo in diem redemptionis nostræ sanctificemur, illuminemur, regamur & ob-

signemur

signemur. unde consolationis argumentum uberimum ad nos pullulat. Eadem fide nostram ipsorum notitiam assequimur, intelligimusque adeo, novam nos esse creaturam Dei, in Ecclesie electorum contubernio nos versari, Sanctorum communione gaudere. Et quot salutis, restorationis ac restitutionis nostrae in integrum principia sunt (sunt autem potissima praescientia, electio, vocatio, justificatio, Rom. VIII. 29. 30.) totidem sunt loci fontesque consolationum. Denique eadem fide coetera Dei opera assequimur, intelligimusque, adversa nobis constanter & eleganter ferenda, quia summo consilio Deus nos humiliat, ut deinde extollat, mortificat ut vivificet: magis nos periclitari rebus secundis, propter carnis nostrae intemperiem, quam adversis, quae materiam nobis exercendae modestiae, diligentiae in officio, aliarumque virtutum subministrant: bonaque praeterita à Deo nobis aliisque fidelibus concessa, de futuris magnam spem facere.

LXXXV. Quid lugenti facto opus sit, eadem fides demonstrat; nempe ei gloriandum esse in afflictionibus, scienti, quod oppressio patientiam, patientia experientiam, experientia spem non pudefacientem operetur, Rom. V. 3. 4. Et patientiam quidem, quia ejus exercendae materiam subministrant: experientiam tum nostrae infirmitatis, tum Divinae praesentiae, auxilii & protectionis: spem denique tum Divinae etiam imposte- rum praesentiae, tum futurae gloriae. Ad Deum autem, verè ἀλεξικα- ρον & opitulatorem certissimum, confugiendum esse homini ærum- noso, nunquam non fides ostendit, & hujus generis dulcissima dicta infigit: *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me* Psal. L. 15. *Invocat me, & respondebo ei: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum*, Psal. XCI. 15. Sed & adverforum θεοπέμπτων nomi- ne Deo gratias agendas esse, eadem fides sciscit, suggerens illa S. Pe- tri 1. Epist. IV. 16. 19. *Si quis affligitur ut Christianus, ne pudefiat, imò glo- rificet Deum hac in parte. Itaque qui affliguntur ex voluntate Dei, tanquam fideli creatori commendent animas suas benefaciendo.*

LXXXVI. Denique & fidei solenne munus est, easdem consolationum formas repetere & inculcare homini. Varietas quippe, magnitudo & diuturnitas malorum caliginem & veluti stuporem quendam mentibus hominum offundere & inducere solet, ut non appareat statim, quod res est, adeoque à Deo immitti adver- sa & determinari: non obfutura sed profutura: non fore perpetua. Itcirco fides aegritudinibus medelam allatura eadem consolatio-

Quid lu-
genti facto
opus sit,
demon-
strat.

Consola-
tionum
formas re-
petit, & in-
culcat.

num capira, veluti malorum ἀντιφάρμακα, repetit, inculcat, & in fuc-
cum sanguinēque convertit.

Charitatis
Dei in
consola-
tione mo-
mentum.

LXXXVII. Post fidem *Charitas* Dei & proximi consolatio-
ni intervrit. Divina vox jubet nos Deum diligere ex toto corde,
tota anima & omnibus viribus. Diligimus autem eum, tanquam
clementissimum benignissimūque Patrem, cujus ineffabilis erga
nos bonitas & amor est: & dilectionis ejus, qua ipsum prosequi-
mur, norma in prima Decalogi tabula præscripta est, ne ejus ignoran-
tia quenkumque torquere possit. Etsi autem legi nemo Mortalium satis-
facere potest in hac vita: illud tamen solatio esse debet, quòd &
Christus nostra vice ex asse ei satisfacit: quòdque obedientia,
quam secundum legis canonem, prælucente fide, utcunque præsta-
mus, Deo in Christo placet. Atque hujus etiam amoris, quo Deum
fideles prosequuntur, ejusdem gratiæ, tantus æstus, tantæque flam-
ma est, ut ignium temporalium, quo tyranni corpora succendunt,
flammanem vim multis modis vincat atque superet. Et sicut Christi
sponsi erga Ecclesiam sponsam: ita Ecclesiæ sponsæ erga Christum
sponsum *שׁוֹרָה כְּמוֹת אֵהָבָה קְשָׁה כְּשׁוֹרָה קְנָאָה רַשְׁפִּיָּה רַשְׁפִּי שֶׁנֶּאֱמָר*
: *שׁוֹרָה כְּמוֹת אֵהָבָה* amor (suo modo & modulo) *invictus est ut mors*, (ipsamque
adeò etiam mortem vincit & subigit,) *zelus durus, ut orcus, scintilla ejus*
(zeli pro Christo ejusque gloria,) *sunt sicut scintilla ignis, flamma Dei,*
adeò ut aqua multa (adversitatum) *charitatem illam extinguere, vel flamma*
illam obruere non possit, Cantic. VIII. 6. 7. Unde S. Apostoli profitentur
2. Cor. V. 14. *Ἡ ἀγάπη τῆς Χριστοῦ σὺνέχθη ἡμᾶς*. *Amor Christi nos constrin-*
git, ut videlicet iis, quæ Christo grata & gloriosa sunt, loquendis, a-
gendis & patiendis temperare nequeamus. Scitè igitur S. Basilii
Homilia de Barlaam pag. 513. *ὅταν ὁ τῆς δουλοβείας ἔρως τὴν ψυχὴν περι-
τρέψῃ, ἀπὲν αὐτῷ πολέμων καταγέλασθον εἶδῃ, ὁμοῦ πάντες αὐτὴν ὑπὲρ τῆς
πονηρίας κατὰξέοντες, τέρπασσι μάλλον ἢ πλὴν τῆς σφύρας.* *Quando pietatis amor ani-*
mi hominis præoccupat, quodcumque illi pugnarum genus ridiculum reddit, &
quotquot illum ad amata rei gratia cœdunt, delectant magis quàm consternant.
Falsique sunt Martyres, hanc charitatis Christi in se flagrantis vim
effecisse, ut & charitatem parentum, conjugum, liberorum confes-
sioni Christi postponerent, & teterima supplicia non reformida-
rent. Galeatius Trecius sanè Megalomartyr, teste Pantaleone Com-
ment. Rerum in Ecclesia gestarum lib. VIII. pag. 248. hostibus amorem con-
jugis liberorum, aliæque ejusmodi opponentibus respondit, *se jam*
neque vulgares istos honores morari, neque caduca & fragilia bona, neque ux-
orem,

rem, quamvis illam amaret, verum non supra Deum, qui supra omnia amandus
esset, omnibusque anteponeendus.

LXXXVIII. Porro cum Spiritus Christi perfectionis vin-
culo, quod charitas est, viva Ecclesiae membra jungat, magnum cer-
te & inde consolationis argumentum afflictis promere licet. Vult
nempe Christus nos a mundo segregatos in unum corpus coalesce-
re, ab eodemque Spiritu vivificari. Mutuam inter nos omnes vult
esse συμπάθειαν καὶ φιλοσοργίαν; & hujus consociationis veluti tes-
feras quaedam Sacramenta, S. Coenam & Baptisimum esse voluit. Ne
ergo tanquam avulsi ab Ecclesiae corpore, mœrore contabescamus:
sed potius ad consolationem nostram officia charitatis proximo no-
stro, maxime fidei domesticis, juxta secundae tabulae canonem de-
claremus. Mutuum nempe & ἀντιπροσπον si fuerit hoc charitatis stu-
dium, & ipsius, & alii nobis solatio erunt.

Nec non
charitatis
proximi.

LXXXIX. Denique utrique & fidei & charitatis solatio spei
quoque officium accedit. Sicut nempe secundum illud S. Augu-
stini spes amoris comes est, & eadem sine fide esse non potest: ita quoque spes
futurorum bonorum presentem fortunam lenit, uti scite Chrysostomus pro-
nuntiavit. Etenim τῆ ἐλπίδι χαίρειν spe gaudere oportet, Rom. XII. 12.
consolationi nostrae, quae gaudii expertis esse non potest, spem con-
stantissimam servire necessum est. Spe mitigationem malorum, &
liberationem ab omni malo, secundum consilium & promissionem
Divinam expectamus: Spe carnis resurrectionem operimur, at-
que eadem seu lentam seu subitam corporum nostrorum resolu-
tionem & corruptionem, Christi virtute & promissione freti, supe-
ramus. Eadem spe vitam aeternam & gloriam caelestem, salutemque
adeo plenissimam praestolamur. Cumque omnia jam conclamata,
velut in deliquii puncto haerent, & salus hominis mendacium aut
συκίνη ἄπιστία ficulneum auxilium esse comperitur, demum spes suc-
collat praesidiumque affert. De Divina misericordia amplius sperandum
est, cum humana praesidia deficiunt, inquit in Hexaemero Ambrosius. Di-
gnumque etiam memoria est illud S. Bernhardi plenum consola-
tionis dictum: Tria considero, in quibus tota spes mea consistit, charitatem ado-
ptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis.

Spei in
consola-
tione offi-
cium.

XC. Consolatio Christiana in S. Martyribus aliisque perse-
cutiones sustinentibus efficit, ut rerum bonorumque caelestium ve-
ro gustu delibuti, incredibili laetitia afficiantur, adeoque, ut S. Basilii
Homil. in Gord. pag. 523. verbis utar, ἀκαμπτοι καὶ ἀδάμαστοι καὶ πάση

Consola-
tionis effe-
ctus est lae-
titia incre-
dibilis.

ωε-

ὡς βολῆ πειρατῶν ἀπεσώτοι *inconcussi*, *indomabiles*, nullisque propositis
periculis exorabiles agonem à Deo definitum hilari & exultante ani-
 mo, magnâque cum promptitudine & desiderio decurrentes, absol-
 vit. Exempla sacra obvia sunt sociorum Danielis, qui *בְּלֶחֶם יְדִישׁ*
אֲרָוֶה-אֲרָוֶה soluti in medio ignis deambulabant, Dan. III. 25. perinde ac si ni-
 hil ad illos instructi ignes pertinerent, ipsique in pulcherimo potius
 horto, quàm fornace ignita versarentur: S. Apostolorum, qui *ἀπὸ*
ἑὸς προσώπου ἑ συνεδρίῳ ἐπορεύοντο χαίροντες à facie Synedrui hilares discesserunt
 Act. V. 41. S. Stephani, cujus persecutionem sustinentis, *ὡς εἰ*
ὡς εἰ προσώπον Ἀγγέλῳ facies erat instar faciei Angeli, Act. VI. 15. adeoque
 testis tum sanctitatis & innocentiae, tum gaudii incredibilis &
 promptitudinis ad obsequendum Deo Agonothetæ: S. Pauli, qui
 de *σπονδῇ libatione* sibi imminente lætabandus sibi gratulatur, Phil. II.
 17. 18.

Illustrata
 exemplis
 S. Ignatii.

XCI. Æterna memoria & prædicatione digna sunt illa S. Ignatii
 Antiocheni Episcopi in *Epist. ad Romanos* apud Eulebium *Histor. Ec-
 cles. lib. III. 36.* verba, quibus suam ad Martyrium promptitudinem
 & in eo Heroico Spiritu subeundo gaudium testatur. Sic autem
 ille: Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶν ἀπὸ γῆς καὶ θαλάσσης, νυκ-
 τὸς καὶ ἡμέρας ἐνδεδεμένος δέκα λεοπαρδοῖς, ὃ ἐστὶν στρατιωτικὸν ταγμα, οἱ
 καὶ εὐεργετῆται, χεῖρας γίνονται. ἐν δὲ τοῖς ἀδικήμασι αὐτῶν μάλλον μα-
 θητεύομαι. ἀλλ' ἔγωγε τῆτο δεδικαίωμα. Οὐαί μιν τῶν θηρίων τῶν ἐμοὶ
 ἐτοίμων, ἃ καὶ εὐχομαι σύντομό μοι εὐρεθῆναι, ἃ καὶ κηλακεύσω συντόμως
 με καταφαγεῖν, ἔχ ὡσπερ ἰνῶν δειλαινόμενα ἔχ ἤψαντο. καὶν αὐτὰ δὲ ἀκοντῶ
 μητέλλη, ἐγὼ προσβιάσομαι. Συγνώμην μοι ἔχετε. Τί μοι συμφέρει, ἐγὼ
 γνώσκω. νῦν ἀρχομαι μαθητῆς εἶναι, μηδὲν με ζηλώσει τῶν ὀρεγτῶν καὶ
 ἀορεγτῶν, ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἑπιτύχω, πῦρ καὶ σαυρὸς, θηρίων τε συσάσεις, σκορ-
 πισμοὶ ὀσέων, συγκλοπαὶ μελῶν, ἄλεσμοὶ ὄλης ἑ σώματος, κηλάσεις ἑ Δια-
 βόλης εἰς ἐμὲ ἐρχέσθωσι, μόνον ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἑπιτύχω. *A Syria Romam
 usque cum bestiis depugno, terra marique, noctu & interdium, colligatus decem
 Leopardis, hoc est, manipulo militum: qui beneficiis à me effecti seniores fiunt. Ve-
 rum ego injuriis quidem eorum erudior: non iccirco tamen justificatus sum. Uti-
 nam fruar bestiis illis, quæ mihi parate sunt. Quas equidem opto, ut quam pri-
 mum inveniam. Palpaturus sum eas, ut me celeriter devorent, nec metu absteri-
 ta mihi parcant, quemadmodum aliquibus pepercerunt. Quòd si forte recusabunt,
 ego eas vi adigam. Veniam mihi date. Novi, quid mihi conducatur. Nunc tandem
 incipio esse discipulus Christi. Nulla res tam earum, quæ adspectabiles sunt, quàm
 earum, quæ sub oculos non cadunt, animum meum capiat, ut Jesu Christo pos-
 sim*

sim potiri. Ignis, crux, bestiarum impetus, ossium distractio, confractio membrorum ac totius corporis confusio, Diaboli denique supplicia in me unum incurserunt, dummodo Christo mihi frui liceat.

XCII. Nec pauca, nec ignobilia recentiorum etiam S. Martyrum, multis modis exultantem suam lætitiā in ultimo etiam agone testificantium, exempla in promptu sunt. Pauca delibare haud præter rem fuerit. De Barlaamo Martyre sic Basilius *Homil. de Barl. pag. 513.* Εὐφροσύνην τὰς καλὰς ἡγέμεν. Τὰς πλεῖστας ὡς πλεῖστας εὐφρονοῦμεν. Τὰς σφοδρότερας πικρὰς ὡς βραβείους ἐνοσκιρτῶν λαμπρότεροις, &c. *Supplicia loco gaudii duxit. Plagis affectus lætatus est, ac si honore afficeretur. In suppliciis vehementioribus non secus exultavit, quàm si præclara bræa acciperet, &c.* Hieronymus Pragensis, Heros ille insignis, in Pyra jam alligatus, Lactantii Paschalem illum hymnum, cujus initium est:

Barlaami.

Hieronymus Pragensis.

Salve festa dies, toto venerabilis ævo,

Qua Deus infernum vicit, & astra tenet, &c.

hilari prorsus animo decantavit, *Martyrol. M. lib. II. pag. 134.* Adolphi Clarenbach supplicium jamjam adeuntis adeò rosea hilarisque facies, suavissimus denique & jucundissimus conspectus micabat, ut ipsis hostibus admirationi fuerit. In loco supplicii hæc verba, alta voce prolata, excepta sunt: *Cor meum in corpore meo tanta lætitia perfusum est, ut induci, ut credam, non possim, quenquam in toto mundo esse, cujus pectus majori gaudio perfundi, & tranquillitate simili affici possit, ibid. pag. 193.* Facit huc Thomæ Hauxi, juvenis florentissimi, exemplum, manus semiustas & ardore æstuentes subito ad Deum viventem erigentis, terque magno cum plausu concutientis, apud Foxum *pag. 447.* Hugo Latimerus, ad supplicium eductus, ingenti lætitia gestiens, ipsis hostibus suis scitè ingeniosèque illudit, *Martyrol. lib. VI. pag. 725.* Annæ Burgii profusam lætitiā hostium lachrymis oppositam supra laudavimus. Consonum huic est exemplum Claudii Monieri, qui ad locum supplicii ductus est, junctis manibus, vultuque semper in Cælum erecto, aspectu læto atque hilari, dum interim iudices ejus multis lachrymis & suspiriis Monieri innocentiam, suamque malam conscientiam prodiderunt, *ibid. lib. IV. pag. 390.* Franciscus Varlut *ibid. lib. VIII. pag. 1205.* lætitiā suam sic profiteretur: *Quoad carcerem meum, etsi is fœtore squalet, in eo tamen longè majori lætitiā me affici sentio, quàm hostes mei in palatiis splendidissimis affici possint. Quoad catenas, quibus illigatus sum, iis liberius & gloriosius superbio, quàm persecutores mei aureis suis monilibus. Quinimò catenarum illarum clangor concinens cum Psalmis & can-*

Adolphi Clarenbach.

Thomæ Hauxi.

Hugonis Latimeri.

Annæ Burgii.

Claudii Monieri.

Francisci Varlut.

M

ticis

Guy de
Bres.

ticis meis centies majori me letitia afficit, quàm hostes nostri in conviviis & choreis suis inter suavissimum fidium & Musicæ concentum affici possint. Adèd me Dominus consolatus est & corroboravit. Guy de Bres sic ibid. lib. IX. pag. 1439. Martyrii sui sociis valedicit: Dilecti fratres, hodie ob confessionem Jesu Christi morti adjudicatus sum, Deo sit laus & gratia. Spiritum sentio intrepidum & hilarem. Nunquam antehac animo meo promittere potuisssem tantum honorem, quo me Deus nunc dignatur. Facies mea præ immenso Divinae gratiæ & solatii influxu intumescere mihi videtur: & in momenta singula corroboror magis. Cor quoque meum in corpore meo præ gaudio exultat. Denique quot Martyrum historiæ, tot ferè gaudii hujus ex Divinis consolationibus concepti maximi, testes produci possent.

Causa tristitia Christi, & letitia contra Martyrum in morte.

XCIII. Christus equidem Salvator totius mundi in agone suo graviter & usque ad mortem tristabatur, quin & sanguinis grumos sudabat. Sancti contra Martyres lætabantur supra modum. Id verò crimini datum ab hostibus invidia cæstro percitis Martyri pierrissimo Fanino Faventino, Ferrariæ An. 1550. combusto, paulò lætiori hilariorique, his quæ ferè Martyrol. lib. IV. p. 380. & Comment. Rerum in Ecclesia gestarum lib. VII. pag. 204. legere est, verbis: Quid cause est, quòd tu nunc tantopere lætaris? Nam si Christus, cum mors ei impenderet, præ animi tristitia sanguinem & aquam sudavit, Patrémque oravit cum summo animi angore, ne moreretur, quid habes tu, cur tanta letitia efferaris? Quibus sapienter & cordatè ita Faninus respondit: Dominus Jesus, quamvis nullum unquam peccatum habuisset, tamen cum nostra causa vellet judicio Dei satisfacere, omnes infirmitates nostras suscepit, pœnâsque omnes luit atque persolvit, quæ peccatis nostris debebantur, ita ut cum in horto esset, & in cruce suspensus, veros mortis dolores senserit, eâsque inferorum pœnas, quas nos meriti justè perferre debebamus. Ea itaque causa fuit, cur in horto tanto animi angore affectus, afflictiûsque fuerit, quoniam in carne nostra mortem nostram, infernûmque sentiebat. Ego verò, qui vera fide possideo benedictionem Jesu Christi, ea nunc perfruens maximopere lætor, planè persuasus, quòd moriens in vitam transferar sempiternam & beatam. Cur ergo non lætarer, cum hujusmodi spem atque fiduciam habeam? Et sanè Christi inter & S. Martyrum passionem latissimum discrimen est. Christo Salvatori nostro bibendus calix fuit, felle peccatorum nostrorum & igni iræ Divinae repletus, quem in solidum exhaustit. Si qua verò in calice S. Martyrum amaritudo reperitur, vix summa labia illa attingit, & cœlesti dulcedine insuper temperata est. Mors Christi peccatis & sceleribus totius mundi armata fuit. At aculeos mortis S. Martyrum Christus ipse sustulit, ut jam cum S. Paulo

I. Cor.

1. Cor. XV. 55. &c. exclament: Πῶς σὺ, θάνατος, τὸ κέντησον; πῶς σὺ, ἄδης,
 τὸ νίκος, ubi tuus, mors, aculeus? Ubi tua, inferne, victoria? Aculeus mortis pec-
 catum est, potentia autem peccati lex. Gratia verò sit Deo victoriam concedenti
 per Dominum nostrum Jesum Christum. Et peccata fidelium omnium in
 se transtulit Christus, onerèque illorum eos sublevavit. Ligneam
 crucem Christi unâ cum ipso Simon Cyrenæus portavit. At veram
 crucem, peccatorum pœnas & supplicia solus Christus portavit. Tor-
 tular calcavit solus, & de populis omnibus nullus cum eo fuit. Aspexit, ἦν ἰσχυρὸς
 & non erat auxiliator, Esaj. LXIII. 35. S. Martyrum contra crux & le-
 vis portatu est, & insuper Christum Filium Dei vivi auxiliatorem
 habet. Crux Christi maledictione onerata fuit: at S. Martyrum crux
 à maledictione per eum, qui pro nobis maledictio factus est, libe-
 rata, & benedictione coronata est. Loco ejus, quod in lege scri-
 ptum est: *Maledictus est, qui ex ligno pendet*, Deut. XXI. 23. nunc in
 Evangelio scriptum: *Beati sunt persecutionem sustinentes propter justitiam*,
 Matth. V. 10. *Beatus vir, qui tentationem sustinet. Probatu enim ubi compe-
 rietur, coronam vite accipiet, promissam à Domino diligentibus ipsum*, Jac. I. 12.
 Christus totam Diaboli & totius inferni potentiam superare & pro-
 fligare debuit. S. Martyres serpentem ejusmodi nunc calcandum ha-
 bent, cujus caput antè contritum est. Ipse mundum vicit: & post
 ipsum fides victoria est. Christus cœlestem Patrem suum propter
 peccata, pro quibus spondit, iratum expertus est: omniâque in
 ipsum Divinæ excandescentiæ tela & fulmina vibrata sunt. At S. Mar-
 tyres Cœlestis Patris faciem morte Christi reconciliatam propi-
 tiam experiuntur, & ab eadem charitatis nunc & συμπαθείας ra-
 dios in se reflecti sentiunt. Denique Christus in gravissimo agone
 suo solatii & gaudii illius, quod à gratiosa Dei præsentia proficif-
 ci solet, sensu destitutus, anxie ad Deum ita clamare necessum ha-
 buit: *Deus mi, Deus mi, quare me deseruisti?* At S. Martyres cœlestis so-
 latii rore tenerimo perfusi, pacis Dei, omnem sensum hominis exu-
 perantis, incredibilem dulcedinem sentiunt. Hæ igitur tristitiæ &
 perturbationis Christi, & lætitiæ S. Martyrum causæ germanæ &
 intimæ sunt.

XCIV. Deo itaque, consolationis veræ auctori, gratias
 toto pectore agentes, verbis S. Cypriani *Epistolâ LVI. ad Thibaritanos*
 ad martyrium *θεομαρτυρίῃ*, ita hancce nostram S. Martyrum consola-
 tionem concludimus: *Si hæc cogitantibus ac meditantibus nobis supervenerit*
persecutionis dies, miles Christi, præceptis ejus & monitis eruditus, non expavescit
 ad

Verbis S.
 Cypriani,
 & voto pe-
 roratur.

ad pugnam, sed paratus est ad coronam. Faxit misericors ille, ut in militantis ecclesiae agone nunquam non militiam bonam deceremus, & si quando justo sanctoque ejus judicio persecutionis dies supervenerit, ut consolationum harum diurna nocturnaque meditatione firmati, clypeoque muniti, tanquam strenui milites Christi, ne expavescamus ad pugnam, sed ad coronam justitiae, quam justus ille judex in die illa omnibus apparitionem ejus diligentibus redditurus est, parati simus!

ΠΑΝΤΟΤΕ ΔΟΞΑ ΘΕΩ.

F I N I S.

NB. Thesi LXIII. lin. 22. legendum: Christi notis insignis. Reliqua si qua sunt menda B. L. roller.

96 2178

Sb


ULB Halle 3
007 398 387



W12

MC





4

CHRISTIANA
YRUM,

ersecutiones
ium.

*is & Consolationibus
d Martyres, ipsorum
veterum & recen-
s dictis asserta.*

O DUCE ET AUSPICE,
xamini subjicit

IS HEIDEG-
ol. D. & P. P.

ente

EGLERO, V.D.M.

nte

E R O, S. Theol. Stud.

i, H.L.Q.S.

R. I.
Gessneri,
XVIII.

